

#### IV.

### STATUTI

## DELL'UNIVERSITÀ DI MEDICINA E D'ARTI DEL 1405<sup>1</sup>

### INCIPIUNT STATUTA NOVA UNIVERSITATIS SCOLARIUM SCIENTIE MEDICINE ET ARTIUM GENERALIS STUDIJ CIVITATIS BONONIE

[213] In christi nomine et Beate Marie semper Virginis, gloriose matris eius, Apostolorum petri et pauli, utriusque Iohannis ac totius triumphantis celestis curie, Amen. Hec sunt statuta honorabilis et colaudabilis universitatis scolarium scientie Medicine et artium generalis studij Civitatis Bononie, facta, edita et compilata per discretos et providos viros dominos Magistrum Petrum Iohannis de Curte de padua, artium doctorem, Magistrum Iohannem Benasati de ymericis de mantua in artibus licentiatum, Magistrum franciscum, magistri Iacobi de arimino, artium doctorem, lombardos et de natione lombardorum, Magistrum Nicholaum magistri Michaelis de diodatis de luca artium doctorem, Magistrum Lodoicum de Orto, Tuschos et de natione tuschorum, Magistrum Paulum lelli de la valle de Roma artium doctorem, Magistrum Marinum dominici de lavarinis de sernano, Romanos et de natione Romanorum, Magistrum Iohannem de Xantis de alamania et Magistrum Iohannem duorlach de alamania, Ultramontanos et de natione Ultramontanorum. Qui electi fuerunt in statutarios per consiliarios, ut dictabat forma statuti tunc vigentis, de qua electione constat publica scriptura scripta manu Iohannis [214] condam Nannis de Pepulis, notarij, facta die XV mensis decembris Millesimi quadringentesimi quartij, duodecime Inditionis, cum consilio semper et deliberatione sapientis. Viri dominij Brance quondam petri de theucis legum doctoris tunc Sindici Universitatis; nec non per eosdem statutarios et sapientem cum omni sollicitudine et diligentia correcta et examinata. Que statuta edita et approbata ac facta fuerunt, ut supra, ad honorem et reverentiam Sancte Romane ecclesie ac sanctissimi patris et domini domini Innocentij divina providentia pape septimi, et Reverendissimi domini domini Balthasar Cossa de neapoli miseratione divina sancti Eustachij diaconi cardinalis, Apostolice sedis Legati, ac in civitate Bononie tunc pro sancta Romana ecclesia in spiritualibus et temporalibus Vicarij generalis, et tempore honorabilis Viri domini Magistri Iohannis de bastianis de faventia tunc Rectoris dicte Universitatis et scolarium predictorum, et ad bonum et pacificum et tranquillum statum Universitatis predicte de mandato dictorum dominorum Rectoris ac statutariorum et secundum forumam statutorum dicte Universitatis tunc vigentium. Quj dicti statutarij editores et compositores, ut supra, una cum domino Branca sapiente, in statione et ad stationem generalium bidellorum Universitatis predicte, more solito, in presentia prefati domini Iohannis Rectoris et omnium et singulorum consiliariorum Universitatis et aliorum quamplurimorum de dicta Universitate ad hoc convocatorum et spetialiter adhibitorum, approbaverunt et publicaverunt predicta omnia et singula statuta et ea pro publicatis haberi voluerunt, mandaverunt et clamaverunt, ac de cetero pro statutis dicte Universitatis et scolarium studij predicti inviolabiliter observari, nec non scripta et publicata fuerunt manu Iohannis de Pepulis de Bononia notarij, et nunc notarij dicte Universitatis, sub anni domini Millesimo Quadringentesimo quinto, Indictione XIII die...

---

<sup>1</sup> C. Malagola, *Statuti delle Università e dei Collegi dello Studio Bolognese*, Zanichelli, Bologna 1888, ristampa Torino 1966, pp. 213-321.

## PROEMIUM STATUTORUM UIVERSITATES SCIENTIE MEDICINE ET ARTIUM CIVITATIS BONONIE

Quoniam sine ordine, duce et capite nulla Universitas nullumque corpus sive collegium recte regitur, ducitur seu gubernatur, id circo pro regulatione, conservatione et augmentatione Universitatis predicte et scolarium ipsius, in primis statuerunt quod Universitatis predicta scolarium forensium medicorum et artistarum studij civitatis bononie semper habeat et habere debeat pro suo capite, duce et Rectore unum probum virum, scientia, moribus ac virtutibus ornatum de Universitate predicta, qui Rector ipsius Universitatis et scolarium eiusdem comuniter et publice nominetur et sit. Cuius officium inchoetur finiatur et duret prout in statutis inferioribus continetur. Et habeat iurisdictionem in scolares Universitatis predicte et quoscunque alios, qui legibus et statutis dicte Universitatis directo vel per obliquum ligari possunt, prout in dictis statutis continebitur, item novem consiliarios, habeat etiam dicta Universitas unum sapientem et sindicum, qui dictorum [215] statutorum virtute, sit et esse intelligatur Sapiens Syndicus et protector dicte Universitatis et scolarium, et unum notarium, qui sit notarius et de societate notariorum civitatis Bononie, intelligentem et doctum, qui scribat et conficiat scripturas Universitatis predicte, et acta causarum agandarum coram ipso Rectore, sententias et precepta per ipsum ferenda et fienda, et alia quecunque que per ipsum Rectorem seu coram ipso fieri seu agitari contingerit scriptura digna, item duos bidellos generales per quos serviatur ipsi Rectori et dicte Universitati et scolariis, item unum depositarium generalem per quem recipiantur, custodiantur, salventur et expendantur, si opus fuerit, omnes et singuli introitus Universitatis predicte, a quo reddaturque sue gestionis et administrationis ratio, tempore debito, et alia quecunque fiant, que et prout eidem et eius officio per statuta predicta iniungentur. Quorum omnium et singulorum officium, iurisdictione et potestas sic inchoetur et fiat secundum quod et prout per ipsa statuta ordinabitur. Et illi sint et esse intelligantur officiales predicti et dicte universitatis, de quibus in ipsis statutis continebitur. Et quia decens est scolares Universitatis predicte sentire pariter de commodo, incommodo et honore quod commode fieri non posse videtur, nisi ad [ordinem reducantur], secundum quem officia, beneficia et honores successive et equaliter conferantur, statuerunt quod scolares Universitatis predicte dividantur et sint et esse intelligantur divisi in quatuor nationes, scilicet Lombardorum, Ultramontanorum, Romanorum, et Tuschorum, que omnes nationes simul unite et iuncte Universitatem faciant antedictam. De quibus nationibus ordine, modo, tempore et forma comprehensis in statutis, eligantur Rector prefatus et Consiliarij, de quibus in dictis statutis continebitur.

## **Quod electio rectoris fiat per nationes – Rubrica I**

Item pro choeuatione nationum predictarum et ut in electione iam dicti Rectoris ordine debito procedatur, et ut ad dictum officium quilibet idoneus, ordine tamen et modo debitis, pervenire possit, tollaturque materia iurgiorum, scandali et discensionis, statuerunt quod per dictas nationes quilibet Rector, de cetero eligendus, ordine tamen infrascripto, eligatur et fiat, scilicet quod primus Rector quem eligi contingerit in futurum secundum formam presentis statuti sit et esse debeat Lombardus et de natione lombardorum. Secundus vero sit et esse debeat de natione Ultramontanorum, tertius de natione Romanorum, quartus de natione Tuschorum. Quibus finitis, reinchoetur de novo et procedatur et fiat ordine supradicto, et sic successive in perpetuum. Et si contingat aliquam nationum predictarum eo tempore quo de ipsa novi Rectoris electio fieri deberet, alegare insufficientiam vel aliam quancunque causam, propter quam se excusaret vel excusare vellet ab electione Rectoris de eo fienda, tunc, antequam ad aliam nationem sequentem devolvatur electio, per Rectorem, qui pro tempore fuerit, congregentur due alie nationes, exclusis dicta natione se excusare volente, et alia subsequenda. Et predicta per ipsum Rectorem inter dictas duas nationes congregatas proponantur, et inter eas fiat partitum cum fabis albis et nigris de causa allegata, utrum sit sufficiens et admittenda, vel non. Et si maiori parti videbitur causam allegatam sufficientem et rationabilem esse, procedatur ad electionem faciendam de sequenti natione, alias procedatur ad electionem fiendam alicujus de natione predicta se excusare volente. Et quilibet electus teneatur et debeat electionem de eo factam acceptare, sub pena in statutis comprehensa. Et si talis electus, [216] ut supra, non acceptaverit cum effectu, ad electionem fiendam de sequenti natione procedatur. Et sic successive fiat ut supra.

## **De modo et forma electionis novi rectoris – Rubrica II**

Quia omnis subditorum salus ab ipso Rectore et duce dependet, et secundum caput universa membra quodammodo regulantur, recipiuntque augmentum et diminutionem, ex quibus quilibet regendus toto posse debet esse sollicitus talem in rectorem et ducem eligere qui moribus, scientia et virtutibus alios antecedit, et ex cuius gubernatione et regimine omnia recte procedant, idcirco huius desiderij fervore solliciti, provida deliberatione statuerunt quod in electione cuiuslibet Rectoris Universitatis predictae in posterum eligendi hac forma et ordine procedatur, videlicet quod singulis annis, in |fra horam tertie vel| de mane, novi Rectoris fieri debeat in generali Universitate electio, si aliud impedimentum non occurrat. Pro qua electione fienda quilibet Rector qui pro tempore fuerit, tempore et hora predictis, Universitatem in loco consueto congregari facere teneatur, sub pena viginti quinque librarum bon. universitati applicanda. Et si in predictis negligens fuerit, Universitatem predictam pro dicta electione fienda in sequenti primo die festivo post dictos dies, de mane, in loco predicto, Congregator, qui pro tempore fuerit, congregari facere teneatur, sub pena quinque librarum bon. ipso facto ab eo auferenda et dicte Universitati applicanda, nisi in aliquo casuum ipse Congregator ex legitima causa excusationem haberet. Nam ex tunc consiliarij Universitatis qui pro tempore fuerint, teneantur, sub predicta pena a quolibet ipsorum auferenda et predictae Universitati applicanda, dictam Universitatem congregari facere in loco consueto incontinenti. Ad quam Universitatem ire et se in ea congregare teneantur et stare omnes scolares dicte Universitatis potentes dare vocem in eligendo Rectorem, sub pena prestiti

sacramenti et decem solidorum bon. per Rectorem exigenda et Universitati, Rectorj et denuntianti equaliter applicanda, nisi iustam et legitimam defensionem faceret et haberet quj non jvisset et stetisset ut supra. Et quod Rector, qui tempore quo novj Rectoris fienda erit electio fuerit, una cum consiliarijs, sub virtute alias per eos prestiti sacramenti, ante tempus electionis fiende nominare debeant, omne ambitione et simonia cessante, tres scolares, et de Universitate scolarium scientie Medicine, qui audiverint Medicinam duobus annis hic vel alibi, si reperiantur, vel uno anno ad minus in studio Bononie, de natione de qua novi Rectoris esset fienda electio, quos sua conscientia putaverint etate, moribus et scientia ac virtutibus pre alijs magis ydoneos ad offitium et pro officio Rectoratus. Et quod non possit eligi alter nisi unus de illis tribus datis per provintiam de qua debet eligi, dum tamen aliquis Civis, comitatus seu districtualis civitatis Bononie, aut aliquis publicatus aut examinatus in medicina, vel aliquis qui fuerit Rector, aut aliquis exercens, Cirugiam, vel exercuerit ab uno anno citra, aut aliquis qui non vivat suis expensis aut patrie sue, aut vixerit uno anno suis expensis in studio Bononie, et nullus repetitor gramatice vel loyce qui repetat scolaribus precio vel expensis, et nullus mendicans vel scriptor precio, aut qui fuerit mendicans, scriptor, cirugje operans, repetitor, vel qui vixerit expensis alicuius infra annum, nominari et in Rectorem eligi non possit aut modo aliquo. Quorum nomina, prenomina, et terras unde essent, notario Universitatis inscriptis [217] redigi facere teneantur sub secreto, tenendo tam per Rectorem et consiliarios quam per notarium sub dicti sacramenti virtute, usque in diem et horam electionis fiende, ne ex eorum propalatione vel publicatione aliqua scandali vel malignandi occasio inducatur. Que nomina et prenomina in die et hora electionis novi Rectoris fiende in ipsa Universitate congregata et choadunata pro ipsa electione fienda, per dictum notarium publice omnibus audientibus publicari et legi debeant. Et in electione novi Rectoris servetur modus et ordo ut infra ponitur in statuto posito sub Rubrica de hijs qui possunt dare vocem in Universitate. Et quilibet vocatus primo ad Rectorem ire teneatur et eidem sacramentum corporaliter sub hac forma prestare, quod, remotis odio, amore, timore prece vel precio, lucro vel dampno suo vel alieno, eliget electores meliores et provectiores de Universitate medicorum et qui non sint prohibiti per statuta dare vocem ad dictam electionem fiendam ex nominatis vel alijs de natione, de qua fieri deberet electio, [et] eliget eum quem ydoncorem et sufficientiorem putaverit ad officium et pro officio Rectoratus. Quo sacramento prestito, ponatur partitum per Rectorem vel eius subsitutum cum fabis albis et nigris; similiter in qualibet electione vel partito fiat cum fabis albis et nigris. Statuentes insuper quod nullus doctor medicine vel legens loycham vel phylosophyam vel astrologiam vel rethoricam vel eorum concurrentes, nisi esset scolaris qui se exercitaret in legendo aliquas lectiones, etsi continuaret in legendo in hora in qua debent dicte scientie legi, possint dicte electionj aut alicuj alij scrupitino vel partito fiendo in dicta Universitate, vel inter consiliarios interesse, pena Rectori XL. Solidorum bon. pro quolibet, vice qualibet, nec nudeant ire ad saligatam vel ecclesiam sancti Francisci vel venire sub pena cuilibet qui contra predicta fecerit viginti librarum bon. Alij autem doctores qui audiunt medicinam de mane, et [idem] intelligatur in physica, possint voces dare, et scrupitiniis interesse in alijs et pro alijs scientijs in quibus doctoratus non esset, pena cuilibet contra facienti pro vice qualibet centum solidorum bon. Statuerunt etiam quod aliquis non procuret per se vel per alium directo vel per obliquum se eligi, vel non eligi in doctorem vel Rectorem, et quod aliquis scolaris de Universitate predicta non possit nec debeat per se vel per alium sollicitare vel procurare quod aliquis eligatur vel non eligatur in Rectorem vel doctorem vel alium Offitiale universitatis, aut voces aliquas directo vel per obliquum querere seu procurare pro electione predicta, sub pena quadraginta solidorum bon. pro quolibet et qualibet vice applicanda, exigenda et dividenda ut supra, et sub dicta pena. Item quod aliquis non audeat per se vel per alium procurare seu facere quod preces aut rogamina aliqua porrigantur aut fiant pro aquirendo vel evitando per se vel alium aliquo offitio universitatis predicte, aut pro evitando vel impedienda exactione alicuius pene, quam incurrisset qui venisset seu fecisset contra aliqua statuta universitatis predicte, sub

pena prestiti sacramenti et decem librarum bon., pro vice qualibet exigenda, applicanda et dividenda ut supra, et sub penis predictis ipsi Rectori, qui in exactione predicta negligens fuerit. Item statuerunt quod quilibet electus in Rectorem modo et forma predictis, tenatur ipse, vel qui ejus loco in Civitate Bononie, si presens fuerit in universitate predicta, tempore electionis, alias in prima congregatione universitatis predictae, vel quam primo fuerit requisitus per Rectorem, Rectoratus officium predictum acceptare, nisi tempus ad deliberandum petierit. Quo casu habeat spatium trium dierum, infra quos possit et debeat deliberare. Et si ipsum officium [218] antedictum infra tempus predictum, ubi tempus ad deliberandum petierit, vel incontinenti, vel in prima congregatione, aut cum primo fuerit requisitus, ut supra, non acceptaverit, penam vigintiquinque librarum bon. incurrat, applicanda pro dimidia universitati et pro alia dimidia ei, qui post ipsum fuerit electus et acceptaverit officium antedictum, nisi electus iustam et rationabilem causam excusationis proponeret et allegaret, quam universitas admitteret. Quo casu teneatur Rector, allegata causa, ea die vel sequenti, sub pena quinque librarum bon. Universitati applicanda, congregari facere nationem de qua electus esset. Et ipso electo primo iurante quod iustam et rationabilem causam excusationis habet, ipso absente, proponatur causa excusationis predictae in natione predicta et inter scolares eiusdem. Et si per maiorem partem nationis predictae causa allegata fuerit approbata pro legitima et sufficienti, pro non electo habeatur et sit et penam aliquam non incurrat. Si vero non fuerit approbata, pro non apposita et allegata habeatur et sit, et penam predictam incurrat. Quam penam infra mensem solvere teneatur, et debeat Universitatis depositario et dicto Rectori. Et infra decem dies, a die electionis numerandos, teneatur pignus ydoneum de dicta quantitate vigintiquinque librarum bon., ad dictum terminum solvenda, penes depositarium dicte Universitatis deponere et dimittere. Et si dictum pignus deponere cessaverit, ut supra, ipso iure sit et esse intelligatur privatus omni honore et commodo universitatis. Et nichilominus ad exactionem et pro exactione predictae pene contra eum et in eius bonis, debitis remedijs procedatur. A qua privatione non possit nec debeat restitui, nisi dicta pena soluta, et ultra pro sua contumacia solvat centum solidos bon. Et in casu predicto, quando electus per se vel alium non acceptaverit, ut dictum est, teneatur Rector qui pro tempore fuerit, quam citius fieri poterit commode, facere convocari Universitatem predictam in loco consueto, et adhuc legi facere in dicta Universitate reliquos duos qui tempore prime electionis pauciores voces primo habuissent, ac facere vocari scolares, et dari voces, legi et publicari, ut superius dictum est, ita tamen quod alij etiam possint voces dari, etiam non nominatis ut supra. Et in acceptatione, deliberatione, pignoris datione et omnibus alijs supradictis procedatur in omnibus et per omnia ut superius est expressum. Dicto autem secundo electo non acceptante per se, vel alium, ut supra ad electionem et alia procedatur ut supra successive, donec unus de dicta natione acceptaverit, vel tres de dicta natione penam predictam incurrerint cum effectu. Quo casu proximo, de dicta natione plures possint proponi modo et forma predictis. Et sic successive de natione in nationem, donec aliquis antedictum officium Rectoratus acceptaverit. Statuerunt etiam quod, primo electo non acceptante, aliquo die post horam tertie per aliquos doctores legi non possit, nisi infra tempus datum ad deliberandum, si petatum fuisset donec electio et acceptatio officij antedicti facta fuerit cum effectu. Et quia contingit absentes ad officium Rectoratus eligi et pro eis acceptari, statuerunt quod talis electus precise, infra mensem a die acceptationis redire ad Civitatem Bononie teneatur, pena vigintiquinque librarum bon. eidem de facto et in ipsius bonis auferenda, et universitati effectualiter applicanda. Quam, si infra decem dies mensem predictum incontinenti subsequentes, solvere cessaverit et se pro dicto officio exercendo Bononie presentare, ipso iure de facto privatus sit et esse intelligatur perpetuo omni honore et commodo Universitatis predictae; et nichilominus ad predictam penam consequendam contra ipsum et in ipsius bonis agi possit remedijs opportunis. Et eo casu ad electionem novi Rectoris quam citius commode fieri poterit procedi debeat, supradictis modo et forma. Verum quia medio tempore Universitas non bene staret sine Rectore, statuerunt quod Rector antiquus [219] Rectoratus officium

teneatur exercere, et quod eius iurisdictione duret usque in eventum novi Rectoris seu acceptationem noviter eligendi, nisi ex iusta et rationabili causa se absentare necesse haberet; quo casu per universitatem per eum congregandam, allegata causa sue absentationis, provideri debeat de eo qui teneat locum Rectoris donec proveniet ad Civitatem Bononie electus, vel alius eligendus acceptaverit. Quo medio tempore eandem iurisdictionem arbitrium et bayliam habeat idem locum tenens, quam habet Rector ex forma quorumcunque statutorum Universitatis predictae, ita tamen, quod si medio tempore, antequam dictus Rector rediret, qui tempore electionis absens esset vel electus acceptaret, imineret fienda doctorum electio, differatur usque quo per novum Rectorem officium fuerit inchoatum et presens fuerit in civitate Bononie. Item statuerunt quod nullus Rector possit morari in eadem domo cum aliquo doctore legente, et quod si contingeret aliquem scolarem eligi in Rectorem et acceptare officium antedictum, qui tempore electionis moraretur in eadem domo cum aliquo doctore, teneatur ipse doctor infra quindecim dies a die electionis, si electo placuerit, domum evacuare et liberam et expeditam electo dimittere, solvendo solum idem Rector pensionem pro rata temporis quo inhabitasset. Et hoc nisi domus esset propria doctoris; quo casu dictus electus domum evacuare infra dictum terminum teneatur, et se de ipsa separare teneatur, solvendo pensionem pro rata ipse electus ut supra, sub pena cuilibet Rectori electo non observanti predicta, seu in aliquo contrafacienti, viginti librarum bon., quam ipsi facto incurrat et incurrisse intelligatur, et ab eo exigi possit et debeat quibuscunque remedijs opportunis. Item statuerunt quod quilibet Rector teneatur portare in hyeme caputium foderatum de vario, et in estate etiam, vel caputium foderatum de syndone, et continue portare cappam statuti, preterquam si voluerit equitare. Item statuerunt quod officium cuiuslibet Rectori[s] duret uno anno, computando a medio Aprilis usque ad aliud medium futuri Aprilis. Et si in casu contingeret Rectorem, qui pro tunc erit, se absentare, dimittat unum substitutum secundum quod sibi placuerit. Et quod quilibet Rector de cetero eligendus teneatur et debeat suis expensis tenere, durante officio Rectoratus, unum honorabilem domicellum, quem teneatur induere de induto boni et decentis panni, videlicet de medietate cuius brachium constet a triginta solidis infra, et a viginti quatuor supra, et unum famulum, qui sibi in choquina et alijs docentibus serviat, cum domicelli et choquine officium non bene se in personam compatiantur eiusdem. Et eodem modo et forma depositarius Universitatis e pecunia Universitatis teneatur induere alterum bidellorum qui, ordine attento, induj debuerit de simili induto et guarnachia, solvendo omnia necessaria pro dictis indumentis. Bidellus autem qui indutus fuerit, ut dictum est, teneatur ipsa indumenta portare continue, pena decem solidorum pro qualibet vice qua iverit sine dictis pannis, et pensa periurij cuilibet, qui predicta sciverit, non denuntianti, et centum solidorum bon. et periurij cuilibet, qui predicta sciverit, non denuntianti, et centum solidorum bon. et periurij Rectori cuilibet non exigenti ipsam penam; de quibus credatur dicto unius testis. In vestiendis autem bidellis debeat equalitas observari, ita quod primo unus induatur et postea alius successive. Qui bidellus sic indutus teneatur ire ad domum Rectoris in omni die, de mane et de sero, et sociare eum quo voluerit, nisi iustam et rationabilem causam habuerit, sub pena quinque solidorum bon. pro qualibet vice, et inquirere ab eo si vul quod aliquid faciat. Quam penam dictua dominus Rector exigere teneatur sub dicta pena.

### **De sacramento novi rectoris – Rubrica III**

[220] Item statuerunt quod quicumque in Rectorem de cetero fuerit electus, tempore acceptationis officij antedicti teneatur sacramentum corporalem sub hac forma prestare Rectori, qui tunc esset, pro ipsa Universitate recipienti, scilicet quod in quantum sibi erit possibile procurabit toto posse omnia et

singula pertinentia, seu que pertinere aut facere putaverit quoquo modo, ad conservationem et augmentationem ac bonum et pacificum statum universitatis scolarium studij medicine et artium Civitatis Bononie, ipsamque universitatem et studium conservabit et scolares ipsius pacifice et devote tractabit. Item servare omnia et singula statuta facta et fienda et ordinamenta omnia que per ipsam Universitatem fient, vel fuerint approbata et jurata et ea ac omnia et singula in eis contenta, observari facere iuxta posse scolaribus et alijs quibuscunque, qui ad ipsorum observationem quoquo modo tenentur, sub penis in eis contentis. Et quod omnes et singulas penas quas aliquis incurrerit seu incurrisset, effectualiter et iuxta posse exiget, quas si non exegerit iuxta posse, de suo Universitati predictae persolvat. A quibus sacramento, penarum exactione et prestatione, nullo modo absolvi possit, sed etiam ad ipsarum penarum non exactarum et quas incurrerit solutionem per syndicos, tempore sindicatus, dicte Universitati effectu|ali|ter compellatur. Iurabit insuper procurare toto posse, fideliter et sine fraude, quod sibi tempore statuto successor ydoneus eligatur, et quod in ipsa electione et circa ipsam servabit pura fide omnia et singula circa ipsam et in ipsa disposita, statuta seu provisa. Item iurabit post finem sui officij et regiminis per quindecim dies Bononie continuato tempore permanere et stare ad syndicatum, ac iuri parere secundum quod et prout contra eum inventum, statutum, pronuntiatum seu sententiatum fuerit; et quascunque condemnationes de eo fiendas ac penas quascunque sibi infligendas solvere, et supra predictis suo successori in omnibus obedire; et si oportuerit eum ex aliqua iusta causa antedictos quindecim dies completos recedere, ydoneum procuratorem relinquere, qui promittat et satisdet ydonee eius nomine de jure cuilibet respondere, et generaliter omnia et singula observare et adimplere ad quo tenetur ratione quorumcunque statutorum tam factorum quam fiendorum, aut provisionum Universitatis predictae. Teneatur autem tempore acceptationis et juramentij officij antedicti dare, tradere et dimittere depositario Universitatis ydoneum pignus, valoris viginti quinque librarum bon., quod pignus penes ipsum depositarium seu massarium debet remanere usque quo per syndicos eligendos ad sindicandum ipsum dominum Rectorem, idem Rector fuerit absolutus aut condemnationem de eo fiendam solvisset, et alia erunt adimpleta que adimpleri debent secundum formam aliquorum statutorum. Quod pignus idem Massarius et Depositarius, in casum in quem dictus Rector condemnaretur per dictos syndicos, nisi condemnationem de ipso Rectore factam ipse Rector solverit infra octo dies post condemnationem sequentes, vendi facere teneatur, et solvere condemnationem predictam, residuum vero ipsi Rectori restituere. Ac etiam teneatur dicto tempore facere interesse trombatores prefate Universitatis, vel alios cum nacharis et zalamella, qui cum gaudio et letitia teneantur associare dominum Rectorem ad domum sue habitationis. Pro quorum labore depositarius Universitatis prefatus teneatur dare cuilibet dictorum trombatorum, seu duobus trombatoribus, quinque solidos pro quolibet, et nacharato unj tres solidos [221] bon. et zalamelle uni quinque solidos bon. pro associando dictum Rectorem ab ecclesia sancti Francisci usque ad domum, et hoc de pecunia universitatis. Et si Rector electus voluerit corcizare aut corcizari facere per terram aut aliter gravare dictos trombatores, quod tunc, ultra quantitatem predictam, teneatur solvere de sua propria pecunia. Et eodem modo dicimus, si voluerit plures trombatores predictis, quod satisfaciat de sua propria pecunia.

#### **Quod nullus rector tempore sue electionis possit dare confectiones aut vinum – Rubrica IV**

Item cum Rectores dicte Universitatis varijs, diversis et inordinatis expensis sepius aggraventur, ita quod futuris Rectoribus non acceptandi dictum officium prebent signaculum et exemplum, statuerunt quod aliquis in Rectorem universitatis predictae electus seu eligendus, tempore sue electionis non possit vel debeat dare scolaribus vel alijs quibuscunque eum associantibus ad domum ipsius, confectiones vel

vinum, nec, infra mensem a die sue electionis usque ad completorium non computato, audeat vel presumat tripudiare aut tripudiarum facere cum trombis vel sine vel cum alijs instrumentis, de nocte, cum doplerijs vel sine, directe vel indirecte, nec convivium aliquod facere etiam die electionis predictae, in quo intersint ultra duodecim homines, sub pena cuilibet electo et pro qualibet vice decem librarum bon. et cuilibet scolari tribudiantj aut se in convivio congreganti contra dictam formam, viginti solidorum bon. Quam penam si aliquis predictorum inciderit, Rector sequens exigere teneatur sub dicta pena. Quod statutum habeat locum ubi placuerit Rectori electo.

### **De pena eorum qui se absentant propter evitare officium rectoratus – Rubrica V**

Item cum sepe contingat quod multi scolares ante tempus electionis novi Rectoris maliciose se absentant ad hoc ut officium Rectoratus evitent, et malicijs sit obviandum in quantum natura suffragatur humana, statuerunt quod si aliquis de natione illa de qua, secundum ordinem, immediate fieri debet electio novi Rectoris, vel nationis alterius eam immediate sequentis, a civitate Bononie se voluerit vel procuraverit absentare, quod talis teneatur, sub virtute prestiti sacramenti et sub infrascripta pena, se presentare per se vel alium legitime coram Rectore, qui pro tempore fuerit, et allegare suum recessum et causam propter quam vult recedere; et tunc dominus Rector ea die vel sequenti teneatur convocari facere nationem de qua esset talis absentaturus, et inter scolares nationis predictae proponere quod talis dicit quod vult se absentare ex talj causa, nominando talem se absentare volentem et causam quam allegat se velle absentare, et utrum sit sufficiens ad officium Rectoratus. Qua excusatione audita, Rector una cum [222] illis de dicta natione teneatur proponere in universitate, et illud quod maior pars uinversitatis deliberaverit, sit optentum, ut dictat supra statutum *de electione novi Rectoris*. Et si per maiorem partem nationis sue fuerit approbatum quod sit sufficiens ad Rectoris officium exercendum, si contigerit eum eligi, teneatur dominus Rector, qui pro tempore fuerit, eidem precipere, seu precipi |facere| quod per tres dies ante tempus electionis fiende de novo Rectore, presentabit per se vel ydoneum substitutum, coram domino Rectore et Consiliarijs. Quod si non fecerit, et contingerit dictum talem eligi ad Rectoratus officium exercendum, ipso facto incidat in penam viginti quinque librarum bon. Et tunc procedatur ad electionem de alijs, fiendam de dicta natione secundum formam statutorum loquentium *de electione novi Rectoris*. Sj vero per maiorem partem dicte nationis approbabitur pro iusufficienti ad officium antedictum si eligeretur, tunc dominus Rector det et dare possit eidem licentiam recedendi. Et sic successive procedatur de natione in nationem. Ante autem quam per Rectorem fiat propositio predicta in natione iam dicta, vel fiat aliquod partitum, teneatur Rector sacramentum deferre cuilibet de natione predicta quod iuste et sine fraude approbabit vel reprobabit, sub pena viginti quinque librarum bon. ipsi Rectorj. Et quia aliquando etiam contingit quod aliqui scolares, propter evitandum officium Rectoratus, malitiose consueverunt facere se privarj, statuerunt quod non obstante tali privatione facta de aliquo scolarj, talis privatus nihilominus possit eligi in Rectorem, ita tamen quod, quando acceptaverit officium Rectoratus, incontinenti teneatur se concordare cum eo ad cuius petitionem fuisset privatus, sub pena librarum viginti bon., quam penam teneatur exigere a dicto Rectore sequens Rector sub dicta pena. Si autem talis electus esset privatus propter iniuriam factam alicuj, consiliarij teneantur videre et examinare iniuriam que facta fuisse diceretur per talem privatum, ac facere et curare toto posse quod dictos iniuriantem et iniuriatum ad concordiam et compositionem perducant. Et in predictiis habeant purum et generale arbitrium procedendi, cognoscendi et terminandi, non obstante aliquo statuto. In quo casu partes comparere et parere debeant mandatis ditorum consiliariorum, sub pena viginti quinque librarum bon. Et quod

nichilominus dicti consiliarij possint procedere ad talem privatum restitui faciendum a privatione predicta.

### **Quod qui semel fuerit rector perpetuo non possit eligi in rectorem - Rubrica VI**

Item statuerunt quod si aliquis semel Rector fuerit, non possit perpetuo eligi in Rectorem, nec ad Rectoratus officium exercendum. Si autem aliquis semel electus fuerit in Rectorem et non acceptaverit, et per hoc penam statutorum incurrerit eamque solverit, et postea iterum eligeretur in Rectorem, ad dictum officium acceptandum invitus urgeri non possit, nec ex eo quod [non] acceptaret penam aliquam incurrat. Ubi autem alicuius electi excusatio, causa sue excusationis, per suam nationem fuisset approbata et per hoc, non acceptando, penam statutorum non incurrisset, possit alias de novo eligi, et acceptare teneatur, quemadmodum si alias nunquam electus fuisset in Rectorem.

### **De electione consiliariorum - Rubrica VII**

Quoniam decens et conveniens est Rectorem Universitatis predictae decenti ac provido associari consilio, et cum prudent[is]um consilio, quociens opus fuerit, possit et valeat [223] peragenda perficere, statuerunt quod eo die, quo Rectoris fiet electio, antequam ad aliquos actus extraneos procedatur, in ipsa Universitate iuxta formam servandam in universitate in electione Rectoris, eligantur novem consiliarij per nationes ut infra su[ff]itientes, quorum quilibet debeat audivisse scientiam medicine decem octo mensibus et ad minus uno anno, etiam si dicto tempore vel aliquo intermedio aliqua privatio studij generalis seu propter aliquod interdictum studij, aliqua suspensio intervenisset. Eligantur autem de natione lombardorum tres consiliarij, de natione ultramontanorum duo, de natione Romanorum duo, de natione tuschorum duo. Ante autem quam ad electionem procedatur, teneatur quilibet, qui in electione dare voluerit et debuerit vocem, corporale sacramentum sub hac forma prestare domino Rectori, quod suo arbitrio consiliarios eliget idoneos, nationis de qua eligi debuerint. Qui autem in consiliarium electus fuerit se excusare non valeat nec possit, nisi iusta subesset causa, per maiorem partem nationis, de qua fuerit, approbanda. Quo casu, ad alterius electionem procedatur secundum formam statutorum, pena etiam quilibet se excusanti quadraginta solidorum bon., si non iustam, rationabilem causam proposuerit. Qua electione facta, fiat publicatio secundum quod consuetum est fieri aliarum electionum. Quorum consiliariorum officium duret et durare debeat tribus mensibus; et circa finem dictorum trium mensium aliorum consiliariorum electio in universitate congregata, quam congregari facere teneatur Rector qui pro tempore fuerit, sub pena viginti librarum bon., fieri debeat ad voces et per cedulas, ut de electione Rectoris est provisum. Providentes quod infra annum aliquis non possit esse vel in consiliarium eligi, nisi semel, si sint alij sufficientes qui eligi possint in natione eiusdem. Et si contigerit quod in provincia, de qua eligi debent consiliarij, non sint alij eligendi, possint illi qui semel sunt electi iterum eligi. Et si quam discordiam oriri contigerit circa electionem consiliariorum vel alicuius eorum, aut eis electis, liceat ipsi Rectori ex suo officio de natione in qua seu de qua esset is, de quo seu pro quo, discordia oriretur seu orta esset, eligere consiliarium vel consiliarios quos utiliores fore putaverit pro commodo et utilitate Universitatis prefate. Item statuerunt quod omnes electi pro consiliariis teneantur iurare domino Rectori predicto servare et servari facere iuxta posse omnia et singula statuta et ordinamenta, tam facta quam fienda dicte universitatis, ac facere et procurare omnia et singula, que putaverint necessaria seu utilia pro conservatione et augmentatione Universitatis predictae ac studij scientie Medicine et artium Civitatis Bononie et scholarium ipsius.

Teneatur, etiam quilibet Consiliarius dare pignora Rectori ydonea, valoris triginta solidorum bon. infra octo dies post inchoationem sui officij ex antequam ad ipsum consiliare officium ipse electus Consiliarius admittatur, alias pro consiliario non habeatur. Et quod Rector teneatur privare dictum Consiliarium nolentem pignus dare, pena Rectori quadraginta solidorum bon.; a qua privatione non possit restitui nisi solverit quadraginta solidos bon. Et loco talis non dantis pignus de natione, de qua ipse esset, succedat et consiliarius sit et esse intelligatur alius qui talem non dantem pignus sequens fuerit in vocibus. Qui succedens iurare et pignus dare teneatur ut supra. Item quod Notarius Universitatis predictae teneatur infra tertiam diem, post electionem quorumcunque consiliariorum, in scriptis ponere in statione et ad stationem generalium bidellorum bidellis generalibus dicte Universitatis omnia et singula nomina omnium et singulorum consiliariorum electorum in consiliarios et ad officium et pro officio consiliarie, ne etiam de eis ignorantia possit pretendi. Et quod, quodcumque fieri debuerit electio Consiliariorum, in universitate legi debeant nomina omnium [224] et singulorum consiliariorum electorum, qui ab anno citra fuissent consiliarij, per alterum ex bidellis generalibus dicte universitatis, ne propter ignorantiam aliquis eligi prohibitus in consiliarium eligeretur, pena Rectori qui in predictis negligens fuerit, quinque librarum bon. pro qualibet vice. Et si aliquis contra formam predictam electus reperiretur, electio non valeat ipso iure, et nichilominus talis electus, si renuntiaverit, penam incidat quadraginta solidorum bon. Et quilibet sub virtute prestiti iuramenti, et pena viginti solidorum predicta denunciare et notificare teneatur domino Rectori aut Universitatis predictae Sapienti. Natio autem, de qua fuerit, quam citius comode fieri poterit, teneatur et debeat eligere alium loco sui infra tres dies postquam predicta claruerint ipsi domino Rectori. Et si dicta natio ad dictum terminum noluerit eligere, tunc Rector qui pro tempore fuerit una cum consiliarijs debeat eligere infra duos dies alium de illa natione, sub pena cuilibet Rectori viginti solidorum bon., et consiliario cuilibet decem solidorum bon. Qui dominus Rector prima die sequenti, qua legerit, faciat proclamari per scholas nomina omnium et singulorum Consiliariorum sic electorum, et quod si quis est qui velit aliquid dicere vel opponere infra tertiam diem compareat coram eo. Et quia decens est et quodammodo necessarium, maxime attentis quibusdam in statutis comprehensis, ut dicti consiliarij unum caput habeat, qui, in casu necessario seu commisso per dicta statuta, possit eos facere congregari et inter eos proponere et partium facere et cetera alia expedire que eorum iniungentur officio, statuerunt quod quilibet natio sua vice habeat unum ex dictis consiliarijs, qui Congregator vocetur, ordine tamen retento, ut primo natio Lombardorum, secundo Ultramontanorum, tertio Romanorum, quarto Tuschorum, qui sit antiquior scholaris ipsorum Consiliariorum eiusdem nationis in studio Bononiensi, qui Congregator Consiliariorum vocetur. Duret autem eius Congregatoris officium pro toto tempore quo ipsorum consiliariorum duraret officium. Et sic successive semper fiat tempore electionis consiliariorum; et finito ordine supradicto dictarum nationum, reinchoetur de novo, et sit ac fiat ut supra, pena Rectori, qui negligens fuerit in predictis aut aliquo predictorum et pro qualibet vice, quadraginta solidorum bon. Officium autem Consiliariorum et eorum Congregatoris ipsorumque iurisdictio et potestas sit et esse intelligatur quatenus et prout per ipsius Universitatis statuta reperiantur concessa. Que omnia et singula sibi imposita et imponenda per dicta statuta ipse Congregator ad sancta dei evangelia ipsi Rectori ea die qua consiliariorum electio facta fuerit, ut supra, si presens fuerit, tempore electionis, alias infra octo dies proxime secutos, iurare teneatur servare et adimplere pura et recta fide. Verum quia Repetitores tam gramatice quam loyce sunt multis, varijs et diversis negocijs et causis impediti, maxime propter curam et sollicitudinem quam habent necesse habere erga suos scholares, et sic alij extraneis actibus commode vacare non possunt, et si eligerentur in Rectorem aut Consiliarios vel syndicos possent ex hoc magnum sentire incomodum, prohibuerunt aliquem Repetitorem gramatice seu loyce, vel aliquem scholarem studentem in cyrugia vel in eadem praticantem, in Rectorem nec pro Rectore, ut in Consiliarium vel pro Consiliario, in Syndicum vel pro Syndico

eligi vel assumi, intelligendo illum Repetitorem, ut supra, qui tempore electionis fiende aut ante per sex menses continue fuerit Repetitor publice. Statuentes insuper quod Consiliarij supradicti et ipsorum Congregator teneantur ad omnem requisitionem fiendam de eis de mandato domini Rectoris se congregari ad stationem generalium bidellorum, et in quolibet alio loco in quo se congregari possint vel debeant secundum formam statutorum. Et inde non discedere donec expleta fuerint ea, pro quibus fuerint [225] convocati et congregati, sub pena decem solidorum pro quolibet et qualibet vice, nisi iustam et rationabilem causam habuerint. Item quod nullus possit Universitatem facere congregari sine licentia Rectoris, sub pena perpetue privationis et quinquaginta librarum bon., et viginti quinque cuilibet qui se congregaverit. Salvo quod Congregator et Consiliari possint illam facere congregari secundum quod reperietur eis concessum per aliqua statuta, et aliter non, sub eadem pena; ymmo contra predicta eo facto intelligatur privatus et condempnatus.

### **De arbitrio consiliariis concesso ubi contingeret rectorem malignari in factis universitatis - Rubrica VIII**

Item statuerunt quod si contingeret, quod Deus avertat, dici Rectorem presentem vel alium qui pro tempore fuerit, malignari, aut se malitiose, dolose, vel fraudolenter in factis, negocijs vel rebus universitatis aut circa facta, negocia vel res seu jura dicte universitatis, et hoc propositum seu expositum fuerit Congregatori consiliariorum per aliquem de Universitate vel universitati suppositum aut officialem seu obedientem, teneatur Congregator infra tertiam diem convocari et congregari facere Consiliarios et Sapientem ac Syndicum universitatis ad stationem generalium bidellorum pro condecanti hora, et, eis congregatis, inter eos proponere supradicta. Et si duabus partibus dictorum Consiliariorum et Sapienti visum fuerit Rectorem malignari, aut se fraudulenter et malitiose vel dolose in factis, negocijs, vel rebus aut circa facta, negocia, res seu jura Universitatis, teneatur Congregator infra octo dies, quam citius fieri poterit, convocari facere Universitatem in loco consueto per alterum ex bidellis generalibus, qui in predictis et alijs, officio Congregatoris impositis, obedire eidem, pena centum solidorum et privationis, omnino teneantur. Et ad eius requisitionem omnes et singuli de universitate predicta se congregare teneantur, pena decem solidorum pro quolibet, nisi iustam et rationabilem defensionem haberent. In qua universitate congregata, idem Congregator predicta proponere possit et teneatur, absente tamen semper Rectore a congregatione et congregationibus predictis, et super eis partitum facere. Et secundum quod per maiorem partem universitatis ordinatum, firmatum, provisum seu dispositum fuerit, excepto de privatione, procedatur et fiat, pena Congregatori consiliariorum qui in predictis negligens fuerit aut predicta iuxta posse non observaverit, decem librarum bon pro qualibet vice. Et nichilominus eo casu predicta officio et ad officium Sapientis et Syndici universitatis predicte incumbant. Statuerunt insuper quod dominus Rector presens, et quilibet qui pro tempore fuerit, teneatur et debeat recipere patienter et benivole omnes et singulas petitiones coram eo porrigendas, que tamen non sint contra formam aliquorum statutorum universitatis predicte, pena ipsi Rectorj centum solidorum bon. universitati applicanda. Et eo casu talis petitio porrigi possit et recipi debeat coram Congregatore consiliariorum, et per ipsum et in ea et super ea procedatur secundum formam statutorum dicte universitatis.

### **De his que tenentur facere rectores in principio sui regiminis - Rubrica IX**

Item statuerunt, ne aliquis Rector pretextu ignorantie possit incidere in penas statutorum, quod quilibet Rector, qui pro tempore fuerit, in principio sui officij teneatur et debeat infra quindecim dies legere seu legi sibi facere et videre seriatim de verbo ad verbum [226] omnia et singula presentia statuta a principio usque ad finem; infra quos quindecim dies si iuste allegaret se ignorasse statuta, postea autem nullam, pretendere possit ignorantiam seu excusationem. Insuper teneatur ire in principio regiminis cuiuslibet Potestatis seu Rectoris Civitatis seu ad dominum Conservatorem eiusdem decenter sociatus et recommendare eidem totam universitatem, et coram ipso dicere et ad memoriam reducere quecumque universitati utilia viderit, et procurare ut effectui demandentur ad conservationem universitatis predictae et privilegiorum eidem per Comune Bononie concessorum, et procurare bulitas et licentiam armorum, sub pena viginti quinque librarum bon., si negligens fuerit in predictis. Insuper dictus dominus Potestas seu Rector vel Conservator Civitatis Bononie teneatur jurare servare presentia statuta et per suos officiales servari facere, et nunquam ipsis statutis contravenire in licitis et honestis. Hoc addito, quod dominus Rector non possit dare licentiam armorum alicui persone que non sit scolaris in scientia Medicine aut artibus, exceptis domicellis qui per eum sunt induti, Syndico et Notario Universitatis et bidellis generalibus, quibus teneatur procurare et dare licentiam portare arma propter honorem dicte universitatis, sub pena decem librarum bon.

#### **De substitutione rectoris quando se voluerit absentare - Rubrica X**

Item statuerunt quod si propter aliquam causam contigerit Rectorem Universitatis, qui pro tempore fuerit, se absentare velle a Civitate, comitatu et districtu Bononie, quod facere non possit nisi ex iusta causa per universitatem vel maiorem partem approbata. Siquidem per mensem vel minus se absentare voluerit, possit loco sui idoneum de sua natione dimittere substitutum. Et idem facere possit in casu infirmitatis talis, propter quem non possit Rectoratus officium explicare. Et si ultra mensem absentia esse debuerit, tunc Rector et consiliarii nominent tres de natione illa de qua fuerit Rector, quos magis sufficientes fore putaverint, qui separatim et divisim in universitate debeant scripturarij, et qui plures fabas habuerit, ille substitutus Rector sit et esse intelligatur quamdiu duraverit absentia Rectoris predicti seu eius esset officium finitum. Et si contigerit, quod Deus avertat, aliquem Rectorem infirmari et decedere, procedatur ad substitutum per Congregatorem et Consiliarios et Universitatem ut supra. Et eandem iurisdictionem habeat substitutus, sive per se ipsum Rectorem, sive per universitatem, quam habet et habere debet ipse Rector, durante substitutione, ac ea possit explicare et facere que potest ipse Rector, absentia Rectoris durante, ut supra. Si tamen de dicta natione non reperiretur idoneus ad substituendum, tunc de alia natione sequente illam immediate, eligi et nominari possit. Substitutus autem tale prestare debet iuramentum quale prestat per Rectorem, et pignus dare et alia facere que ipse Rector facere tenetur, preterquam de vario et domicellis, pena cuiuslibet Rectoris se absentanti aliterquam ut supra quinquaginta librarum bon. et perpetue privationis, a qua restitui non possit, nisi pena soluta. Et si Rector se absentaret alias quam ut supra, teneatur Congregator consiliariorum universitatem facere congregari, ac una cum consiliariis nominare tres scripturarios, ut supra; et qui plures voces habuerit, sit et esse intelligatur substitutus. In substitutione vero consiliariorum sic procedatur, quod, si contingeret aliquem de consiliariis se velle per mensem vel minus absentare de natione sua, possit alium substituere idoneum; et primo debeat presentare substitutum suum Notario, sic quod a Notario scribatur; si autem ultra mensem, per nationem ipsius vel maiorem partem ipsius, provideatur de substituto de [227] eadem tamen natione. Qui substitutus, ut supra, eandem potestatem habeat quam primus in consilium electus, donec duraverit absentia vel finitum fuerit officium. Teneatur autem quilibet substitutus ob honorem predictae universitatis habere et tenere unum famulum

decenter indutum. Rectore autem infra tempus sui offitij redeunte, finiatur et finitum sit et esse intelligatur substituti offitium, et is sit Rector quj primo erat.

### **De privilegiis rectoribus concessis eorum finito offitio ac etiam in offitio – Rubrica XI**

Item statuerunt quod Rectores, eorum finito offitio, a sacramenti prestatione successoribus sint immunes, ymmo nec statutis aliquibus aliquatenus sint astrictj, illis solis statutis exceptis, quibus non servatis, scandalum in universitate seu inter scolares induci posset; cuius scandali verbj interpretatio Rectoris, quj pro tempore fuerit, et maioris partis consiliariorum una cum domino Rectore, arbitrio relinquatur. Et si contingat eos vel aliquem eorum velle promoverj ad examen et ad publicam vel privatam in artibus vel Medicina vel utroque, simul vel divisim, vel qualitercumque voluerit, non teneatur ad solutionem alicuius quantitatis pecunie doctoribus, Universitatj, aut bidellis universitatis vel doctorum, aut alterj persone pro dicta privata vel publica aut alia dignitate assumenda, pena cuiuslibet petenti vel recipienti decem librarum bon., preterquam trombatoribus vel pulsatoribus universitatis, quorum salario ex predictis non derogetur, postquam depositum offitium aliorum jure fruuntur in hospitij conduendis. Et quod, quando Rector venerit ad publicam vel privatam, nichil solvat alicuj persone, non obstante aliquo statuto doctorum vel aliorum in contrarium faciente; nec aliqua alia persona occasione domini Rectoris aliquid solvat. Item quod nullus Rector gaudere possit privilegijs Rectoribus concessis, nisi per sex menses continuos Rectoris offitium exercuerit. Item quod nullus Rector privarj possit in suo offitio Rectoratus. Nec aliquis quj fuerit Rector privarj possit de universitate, ymmo gaudeat omnibus privilegijs quibus gaudent Rectores in suo offitio, et semper possit stare in universitate congregata et dare vocem in illa, ut dabat quando erat Rector, et stare penes Rectorem actu existentem, sive sit doctor, sive non, sive legat, sive non. Et si contingeret quod aliqua jniuria verbo, re, vel facto, esset sibi illata, inferens incurrat penam quam incurreret si intulisset Rectori actu existentj. Et Rector actu existens teneatur pro illo qui fuerit Rector servari facere statuta iuxta posse, que facerent in favorem ipsi[us], sub pena prestiti juramenti et quinquaginta librarum bon., in suo syndicatu auferenda, et universitati applicanda. Et quicumque qui temptaverit Rectorem actu existentem suo offitio privarj, vel illum qui fuerit Rector privarj de universitate, vel privilegia eorum destrui vel annullarj vel non observari, incurrat penam centum librarum bon. et perpetue privationis; ymmo intelligatur eo facto privatus et condempnatus ut supra. Item quod quilibet Rector et qui fuerit Rector, in quolibet partito possit dare duas fabas et habeat duas voces. Ille autem qui fuerit vicerector consimilibus privilegijs gaudere intelligatur. Et quod qui fuerit Rector, post depositum offitium, non possit modo aliquo eligi ad aliquod offitium universitatis predicte; et si eligeretur, non valeat electio ipso jure. Et nichilominus, si quam primum sciverit, non renuntiaverit, penam incidat periurij et viginti quinque librarum bon. Universitati applicandam. Et nullus privilegium contra formam huius statuti [et] tenorem valeat impetrare, et si impetratum fuerit, nullius [228] sit momenti. Sortiatur insuper dictus condan Rector omnia et singula privilegia et beneficia, que et quatenus reperirentur concessa ej ante predicta statuta.

### **De pena iniuriantium rectori – Rubrica XII**

Item ad hoc ut Rector presens, et quilibet qui pro tempore fuerit, audacter offitium Rectoratus exerceat, et cum delicta impunita remanere non debeant, et deceat Rectorem, ratione offitij, tam eo durante

quam finito, protegi et defendi et maxime per Universitatem et scolares, quorum caput est, statuerunt et ordinaverunt, quod, si aliquis dixerit verba iniuriosa et ignominiosa de domino Rectore, qui pro tempore fuerit, aut aliam iniuriam verbo, re, vel facto intulerit, siquidem predicta fuerint in statione generalium bidellorum, aut in scolis, seu congregatione Universitatis, seu ad domum, in domo, vel ante faciem domus habitationis ipsius aut in alio loco publico seu ecclesia, penam incidat viginti quinque librarum bon. Si autem alibi, incidat penam viginti librarum. Si autem fecerit cum aliquo genere armorum contra ipsum dominum Rectorem in aliquo locorum predictorum, penam quinquaginta librarum bon. incurrat. Et si alibi, etiam penam eandem incurrat. Si vero ipsum dominum Rectorem percusserit cum armis et sanguinis effusione in aliquo locorum predictorum, penam manus et centum librarum bon. incurrat: si autem in alio loco, penam manus et quinquaginta librarum bon. Pro percussione autem sine sanguinis effusione, penam manus et triginta librarum bon. incurrat. Et si quis malam famam gesserit de domino Rectore, penam quinquaginta librarum bon. incurrat. Et si, finito Rectoratus officio, aliquid predictorum committeretur contra ipsum dominum Rectorem, pretextu, ratione seu causa aliquorum que facta seu commissa dicerentur per ipsum, ratione sui officij et eo durante, de quibus constaret vere et presumptive, scilicet quod ratione, pretextu seu causa antedictis commissa fuissent, committens predicta condempnetur et puniatur ut supra continetur, si commissa fuissent durante officio, loca distinguendo et alia, ut supra. In quibus et super quibus omnibus et singulis, si durante officio Rectoratus commissa dicerentur, Congregator consiliariorum et consiliarij alij, qui pro tempore fuerint, possint, teneantur et debeant summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicij procedere, cognoscere et terminare, ac de predictis et quolibet predictorum inquirere, punire et condempnare in supradictis penis, etiam aliquo juris ordine non attento. Et quod fienda per eos valeant et teneant, ac etiam irrevocabiliter observentur, ita tamen quod, si, occasione aliquorum ut supra commissorum, procederetur contra eum qui commisisse diceretur in Comuni et per Comune Bononie, vel Offitiales ipsius aut alium officialem Comunis Bononie vel dominij Conservatoris, et dictus committens, vel qui commisisse diceretur, effectualiter puniretur, quod per dictos Congregatorem, Rectorem et Consiliarios procedi non valeat quoquo modo; et si predictorum aliquod fore commissum devenerit ad notitiam Sapientis aut notarij vel bidellorum universitatis, quod predicti, sub penis in statutis contentis, teneantur predicta denunciare et prosequi iuxta posse. Et quod pro predictis fiendis et exequendis liceat Sapienti et Syndico dicte universitatis facere consiliarios et Congregatorem predictum congregari. Et bidelli ad ipsius petitionem teneantur dictos Consiliarios et Congregatorem requirere et convocare, salvis semper, in predictis et predictorum quolibet, quibuscumque statutis Comunis Bononie, seu ipsorum vim et auctoritatem obtinentibus, quibus non intendunt dicti statuarij in aliquo derogare. Et si aliquis, predictorum vel alicuius eorum occasione, [229] fuerit condempnatus, cogatur remedijs opportunis, et invocato auxilio domini Potestatis et eius Curie, ad solvendam condempnationem predictam. Et si non solverit, privetur et privatus denuntietur omni honore et commodo Universitatis; a qua perpetuo restitui non possit, nisi pena soluta et habito consensu ab offenso. Et si predictorum delictorum aliquod committeretur per Rectorem in aliquem doctorem scientie Medicine vel Artium, ipse Rector in dimidia dictarum penarum condempnetur, singula singulis referendo; ut supra. Si vero in scolarem aliquem dicte universitatis vel alium dicte universitati obedientem, in quarta parte dictarum penarum condempnetur, singula singulis referendo, ut supra, salvo semper quod pro verbali iniuria dicta per Rectorem predictum Notario seu bidellis Universitatis, vel cuicumque supposito Universitati, penam aliquam non incurrat. Super quibus etiam dicti Congregator et Consiliarij possint procedere, condempnare et punire, ut supra. Quod statutum voluerunt legi et publicari per scolas per notarium universitatis, ne etiam aliquis in predictis ignorantiam pretendere possit. Insuper statuerunt quod, si contra Rectorem predictum, durante officio, contingerit aliquod de predictis, aut aliud quodlibet delictum committi in persona vel rebus, quod universitas et

scolares teneantur suis expensis ipsi auxiliari et eum defendere et tueri, ipsiusque iniuriam, molestiam et offensam prosecui, et eum ex toto indempnem conservare, nisi eius culpa vel defecto predicta contigissent.

### **De electione syndicorum et eorum officio - Rubrica XIII**

Quoniam decet quemlibet officialem tempore debito, et maxime ipsius finito officio, sui officij reddere rationem, statuerunt quod quilibet Rector, tam presens quam qui de cetero fuerit, finito suo officio, teneatur per se vel per substitutum ydoneum, cum ydonea satisfactione admittenda stare in Civitate Bononie, quindecim diebus proxime finem sui officij subsequentibus, ad syndicanum, et quod semper, facta novj Rectoris et Consiliariorum electione, in ipsa Universitate eligantur quatuor scolares, quorum quilibet audiverit Bononie Medicinam duobus annis, si reperiri possit, alias scilicet uno anno sufficiat eum audivisse, semper servato quod non sit prohibitus per statuta, scilicet unus de qualibet natione, etiam si dicto tempore, vel aliqua eius parte, aliqua studij fuisset privatio vel interdictum. In quorum electione servetur supra traditus modus in electione Consiliariorum; et si alias vel aliter fieret, electio non valeat ipso jure. Qui electi, ut supra, nominentur syndici ad syndicanum Rectorem et sint, et quorum quilibet teneatur novo Rectorij corporale sacramentum prestare quod syndicus officium bene et legaliter, pura fide explicabit et faciet, nec non omnia et singula que circa syndicum predictum occurrerint facienda. Rectoris autem finito officio, qui Syndicari debuerit, statim dicti Syndici, una cum Rectore novo et Sapiente [predicte] universitatis seu alio Sapiente de Collegio Iudicum, quem maior pars eorum duxerit eligendum dictorum Rectoris et Syndicorum, antiquum Rectorem infra quindecim dies syndicare teneantur, et syndicum eius et ipsum Rectorem expedire, absolvendo vel condempnando, in virtute prestiti sacramenti, de omnibus et singulis factis seu obmissis, et maxime de penis non exactis et alijs quibuscumque que ad ipsius officium quomodolibet pertinebant. De quibus etiam Sapientis et Syndici ac Notarii universitatis predictae teneantur inquirere et investigare [230] et ipsis Syndicis denunciare. Ad quorum et cuiuslibet eorum denuntiationem predicti Syndici teneantur procedere, condempnare et punire, sub pena quadraginta solidorum bon. pro quolibet dictorum syndicorum et quolibet predictorum obmisso et vice qualibet. Teneantur insuper inquirere contra dictum Rectorem et suos Consiliarios de eo, quod non observaverint et observari fecerint omnia et singula statuta, reformationes et provisiones ipsius Universitatis, prout infra in statuto, quod loquitur *de observatione statutorum*, continetur, et de eo, quod incidisset aliquam penam ex forma alicuius statuti ipsius Universitatis predictae. Teneantur etiam omnium et singulorum petitiones et querimonias contra ipsum Rectorem porrigendas audire et recipere, et in eis et super eis procedere summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicij, ac probationes recipere, sententiarum et terminare, et effectualiter executioni contradi facere infra tempus predictum, etiam non obstante in predictis vel aliquibus supradictis quod petitiones et querimonie, inquisitiones seu processus minus legitime viderentur ordinate, attentis solum probationibus et ipsa rei veritate. Et valeat quicquid per eos vel maiorem partem eorum factum et sententiatum fuerit una cum Sapiente et Syndico supradicto, seu alio Sapiente de Collegio Iudicum Civitatis Bononie, quem Rector et Syndici vel maior pars eorum duxerint eligendum. Et intelligantur in dictis petitione, querimonijs, inquisitione, processibus et sententijs, in omnibus et singulis que fiunt per dictos Syndicos in predictis esse apposite et observate omnes solemnitates et singule que requiruntur ex forma Iuris seu statutorum aliquorum ipsius universitatis, ita quod a sententia seu sententijs ferenda seu ferendis, per eos aut maiorem partem eorum, ut supra, nullo modo possit nec valeat appellari, de nullitate dici vel opponi, aut restitutio aliqua postulari. Acta vero agitanda in predictis et super predictis scribi debeant per notarium universitatis. Et si Rector qui condempnatus fuerit se appellaverit, illo facto

die sequentj publicetur periurus et privatus ab omnj commodo et honore universitatis predicte et ab omnibus privilegijs sibi concessis post offitium. A qua privatione non possit restituj, nisi solverit viginti quinque libras bon. Item cum sepe contingat, quod dentur libelli et petitiones seu denuntiationes contra Rectores calumpniose et iniuste, et jura proclamant calumpniantes debita pena puniri, statuerunt, quod quilibet Scolaris vel quivis alius qui deinceps porrigere voluerit denuntiationem vel libellum, seu petitionem, quocumque modo vocetur, teneatur et debeat primo, antequam libellum offerat seu petitionem vel denuntiationem domino Rectori, deponere in statione generalium bidellorum unum ydoneum pignus de dimidia tante quantitatis quanta est quantitas qua peritur Rectorem condempnarij debere, aliter libellus, petitio seu denuntiatio non recipiatur per Rectorem, Syndicos aut Sapientem supradictos. Et quicumque Scolaris, vel quivis alius, libellum, petitionem, accusationem sive denuntiationem contra dictum condam Rectorem porrigens, ut supra, infra dilationem sibi statutam non probaverit ea que sibi incumbunt aut ipsam petitionem, libellum, denuntiationem, vel querimoniam prosecutus non fuerit seu destiterit, condempnetur Universitati per Rectorem et Syndicos supradictos in quarta parte eius, quod fuisset condempnatus dictus condam Rector, aut pene quam declaratum fuisse incidisse si probatum fuisset legitime quod propositum fuerat contra eum. Et nichilominus, dicto convento, omne dapnum et interesse eidem legitime restituj facere teneantur, secundum declarationem per ipsos vel maiorem partem eorum fiendam, quam facere teneantur, et attento pignore effectualiter consequi infra quindecim dies in virtute prestiti iuramentj. Possit autem et debeat per Syndicos tempore syndicatus puniri et condempnari ipse Rector parti lese, quatenus in [231] supradicto ultimo casu litem suam ipse Rector reperiretur; de quibus cognitionem habeant et decisionem syndici predicti et Sapiens Universitatis seu alius Sapiens, ut supra, quem dicti Rector et Syndici vel maior pars eorum duxerint eligendum. Et eodem modo intelligatur de substituto sive de Vicerecore.

#### **Quod rector teneatur exigere penas pecuniarias - Rubrica XIV**

Quia transgressores statutorum Universitatis penis legitimis puniri debent, ideo statuerunt quod quilibet Rector omnes et singulas penas pecuniarias non exactas, in quas aliquis doctor vel scolaris aut quivis alius gaudens Universitatis commodo jncurrisset, seu incurreret, exigere teneatur cum effectu infra octo dies postquam commisse fuissent si eius tempore committerentur. Alias infra octo dies a die scientie vere vel presumptive, et nichilominus tantumdem de suo per syndicos tempore syndicatus Universitati solvere compellatur, nisi impossibilitas vel alia iusta causa per syndicos declaranda eum excusaret. Statuentes insuper quod in Universitate nullo modo possit dici, proponi vel arengari per aliquem quod pena aliqua doctorum vel aliorum seu quam aliquis incurrisset relaxetur vel de ea gratia fiat, aut remittatur aliquo modo. Et qui contrafecerit, ipso facto omni Universitatis commodo sit privatus, ac privatus per scholas publice nuntietur, et nichilominus quod contrafieret ipso iure non valeat. Statuentes etiam quod quilibet Rector in introitu sui offitij infra quindecim dies etiam teneatur precise cum quatuor, quos Universitas ad hoc deputaverit, sollicitate et diligenter inquirere de omnibus et singulis penis, quas diceretur seu reperiretur suus proximus Rector predecessor malitiose, dolose aut negligentia [obmisisse, et] exigere penas ipsas quas, ut supra, reperierint non exactas ab ipso predecessore, cum effectu exigere sub virtute prestiti sacramentj. Declarantes insuper quod omnium et singularum penarum exactarum tempore cuiuscumque Rectoris, medietas sit ipsius Rectoris cuius tempore exacte fuissent, et alia medietas burse Universitatis applicetur, salvis semper quibuscumque Statutis aliter disponentibus. Nec Rector valeat ullo modo partem suam alicuj remittere, sub prestiti sacramenti virtute; salvo etiam quod, si aliquis fuerit accusans aut denuntians aliquem de aliquo delicto vel de aliqua pena non soluta vel quam incurrisset, cuius exactio fieret, quod tunc tertia pars sit Universitatis, tertia

Rectoris, tertia accusantis sive denuntiantis. Et accusans, si voluerit, in credentia teneatur, sub pena Rectori decem librarum bon., auferenda in syndicatu suo.

### **De his que debent proponi in universitate - Rubrica XV**

Item statuerunt et ordinaverunt quod quociescunque aliquid debuerit proponi in Universitate, primo per duos dies ante debeat proponi per dominum Rectorem inter consiliarios ad hoc specialiter convocatos, videlicet ad stationem generalem et per bidellos generales, et per ipsum dominum Rectorem et consiliarios debeat tractari, videri et examinari in presentia notarii Universitatis predictae. Et si ipsi domino Rectori et maiori parti consiliariorum videbitur utile id quod proponi debuerit, et tunc, convocata [232] publice dicta Universitate in capitulo Fratrum Minorum vel in scholis dictorum fratrum ut moris est, ibi proponatur per Rectorem quod ordinatum fuerit. Et tunc liceat cuilibet de Universitate et cuilibet alteri quem predicta tangerent, consulere et arengare super propositis tantum, non divertendo ad aliam materiam sed solum ad id de quo agitur, loquendo generaliter et specialiter, prout crediderit in sua conscientia utilius fore. Et tunc secundum consilium consulentium, fiat partitum per ipsum dominum Rectorem, et secundum quod placuerit maiori parti Universitatis procedatur propositis; et quod firmatum fuerit, in scriptis reducatur per dictum Notarium. Item statuerunt quod aliquis scholaris non audeat consulere vel arengare nisi semel, nisi proponerentur diversa diversimode. Et tunc possit super qualibet propositione consulere semel tantum et non plus. Item quod nullus possit vel audeat in dicta universitate aliquid dicere, proponere vel arengare, nisi servata forma predicta; et Rector, qui pro tempore fuerit, teneatur contrafacientes et quemlibet eorum immediate in ipsa Universitate privare ab omni honore et commodo Universitatis, et condemnari eum in decem libris bon.; a qua quidem privatione restitui non possit, nisi solverit dictas decem libras Universitati, et de voluntate duarum partium universitatis, de qua appareat publicum instrumentum scriptum manu Notarii Universitatis. Et nichilominus quod super eo firmabitur non valeat ipso iure. Rector autem, qui pro tempore fuerit, si non observaverit et observari fecerit predicta omnia et singula, incidat in penam viginti quinque librarum bon., exigendam in fine sui officii. Item quod si de partito fiendo oriretur questio inter scholares, quod Rector teneatur convocare ad se consiliarios, et conferre cum eis de partito ponendo, et prout inter eos deliberatum et firmatum fuerit, ita fiat partitum, et aliter non possit fieri. Item quod quociescunque sit aliquod partitum in universitate, non possit fieri nisi sint ibi due partes Universitatis ad minus. Et eodem modo si fieret in natione aliqua vel inter consiliarios; et si per maiorem partem illius, vel illorum qui adsunt, obtinebitur, valeat quod per eos firmabitur, et aliter non, nisi quatenus aliter per statuta aliqua dispositum reperiretur. Item statuerunt quod Consiliiarii aliqui non possint convocari ad domum Rectoris pro aliquibus factis universitatis tractandis, sed solum convocentur ad stationem generalium bidellorum, et per bidellos generales. Item quod si sit dies legibilis aut in qua intretur ad aliquem actum faciendum, quod nunquam convocentur, nisi per scholas publice, ut publice sciri possit quod convocantur, sub pena Rectori decem librarum bon. in quolibet casu. Item statuerunt quod postquam Universitas fuerit convocata et congregata, et Rector proposuerit, nullus scholaris audeat vel presumat exire de universitate, nisi factis et completis his que proposita fuerint, sine voluntate et licentia domini Rectoris petita et obtenta, pena cuilibet contrafacienti pro qualibet vice quinque solidorum bon., omni defensione reiecta. Et quod dictum est de scholaribus convocatis in Universitate, eadem intelligantur [233] in congregatione et convocatione consiliariorum cuilibet consiliario, si de dicta congregatione exire voluerit sine licentia dicti domini Rectoris petita et obtenta. Item statuerunt quod congregationes tam Consiliariorum, vel Additorum vel scholarium fieri, debeant horis determinatis et debitis in quibus scholares commodius venire possint, et saltem per unam

diem integram ante convocent universitatem, quam congregent adeo quod scolares publice scire possint. Item quod Rector non possit conveniri coram domino Potestate aut Capitaneo, aut Ancianis Communis bon., aut coram domino civitatis pro aliquibus factis Universitatis, aut que tangant Universitatem, sine voluntate et consensu Consiliariorum vel maioris partis, super hoc habito colloquio et tractatu. Quod si secus fieret, incidat penam quadraginta solidorum bon. pro qualibet vice; hoc addito quod nichil possit proponi vel firmarij aut in universitate dici, aut aliqua petitio porrigi de aliquo v[el] pro aliquo, quod sit contra formam statutorum universitatis, pena cuilibet dicenti, proponenti, arenganti, consulenti aut petitionem porrigenti, decem librarum bon. pro qualibet vice; et pena viginti quinque librarum bon. cuilibet Rectori non observanti et observari facienti predicta. Et quod fieret ipso iure non valeat nec teneat et pro non facto habeatur. Item, si fiat aliquod partitum, nunquam fiat de sedendo ad levandum, sed quando sit partitum semper fiat cum fabis albis et nigris, et aliter non, et quod semper fiat de una re sola, affirmando vel negando, et sic de singulis rebus fiendis. Et si aliquid contrafieret, ipso iure nichil valeat.

### **Quod quilibet rector qui pro tempore fuerit faciat scribi de pecunia universitatis statuta communis Bononie que facerent in favorem scholarium – Rubrica XVI**

Item cum hoc sit quod, statuta Communis Bononie aliquando innovantur, et in dictis statutis sint quedam statuta que sunt et fuerunt facta in favorem scholarium Bononie studere volentium, statuimus quod dominus Rector, qui pro tempore fuerit, teneatur et debeat omnia et singula statuta et privilegia facere exemplari, que facerent de cetero in favorem et utilitatem scholarium scientie Medicine et Artium Studij bononie, et quod de dictis statutis seu privilegijs faciat fieri duo paria seu exemplaria, quorum unus stet in statione generalj penes bidellos, cum una cathena alligatum, quod non possit removeri, et aliud par stet in domo Rectoris, et possit portare ubi expedierit. Et eodem modo fiat de statutis Universitatis, ut dicta statuta vel privilegia non possint perdi vel amitti. Et quod dominus Rector pro dictis statutis exemplandis et exemplari faciendis possit expendere libere omnem quantitatem pecunie necessariam pro dicta causa de pecunia Universitatis, pena Rectori, si negligens fuerit in predictis, centum solidorum bon.

### **Quod doctores teneantur invenire equos rectorj – Rubrica XVII**

Item statuerunt et ordinaverunt quod, cum ita sit, quando aliquis convent[u]atur et vult post convivium equitare per terram et grave sit Rectoribus qui sunt per tempora invenire equos pro suo equitare et pro suis domicellis propter dictum talem conventuatum associare per terram, et cum facile sit doctoribus invenire equos causa comodandi dicto domino Rectori, quod quandocumque aliquis fuerit conventuatus et velit equitare per terram post convivium vel ante, quacumque hora voluerit pro dicto conventu fiendo, [234] doctor, sub quo conventuatur scholaris qui conventuatus fuit, teneatur prestare gratis domino Rectorj, qui pro tempore fuerit, quattuor equos pro dicto Rectore et suis domicellis propter associare illum talem conventuatum per terram. Si vero ille talis conventuatus, fuerit conventuatus sub duobus doctoribus, quod quilibet dictorum duorum doctorum prestat vel prestari faciat gratis predicto domino Rectori tres equos propter dictum talem conventuatum associandum per terram. Si vero conventuatus fuerit conventuatus sub tribus doctoribus, quod quilibet illorum doctorum prestat vel prestari faciat domino Rectori duos equos propter dictum equitare, pena cuilibet doctori contrafacienti centum solidorum bon. pro quolibet et qualibet vice. Item statuerunt quod quilibet

doctor sub quo aliquis conventuatur, teneatur et debeat associare scolarem conventuatum in recessu dicti scolaris, sub pena quinque librarum bon. exigenda per Rectorem, sub eadem pena ipsi Rectorj.

### **Quod quilibet teneatur audire pacifice precepta rectoris – Rubrica XVIII**

Item providerunt, statuerunt, firmaverunt et ordinauerunt quod quilibet doctor, scolaris vel quivis alius dicte universitati subpositus teneatur benivole, pacifice et quiete audire omnia et singula precepta, cedulas et mandata, que per scolas vel alibi ubicumque fieri contigerit vel legi ex parte domini Rectoris presentis, et qui pro tempore fuerit, sub pena viginti quinque librarum bon. cuilibet doctori, et centum solidorum bon. cuilibet scolari. Quas penas teneatur quilibet Rector, qui pro tempore fuerit, exigere infra decem dies postquam liquidum fuerit eidem, sub pena eadem ipsi domino Rectorj, eidem in fine sui officij per Rectorem et syndicos auferenda et Universitati applicanda.

### **Quod nullus audeat facere septam vel confederationem de scholaribus, et de septa inter nationes non fienda – Rubrica XIX**

Item cum etiam omni iure monopolia, septe et conspirationes sint prohibite, ex quibus dissensiones et scandala temporibus retroactis insurrexerunt et in futurum insurgere possent, statuerunt quod aliquis non audeat vel presumat facere directo vel per indirectum septam, monopolium, conspirationem, ligam, confederationem aut iuramenta in preiudicium Universitatis predicte seu Rectoris, aut alicuius alterius officialis Universitatis predicte, seu pro tractandis aliquibus negocijs pertinentibus ad Universitatem predictam, vel aliquid aliud facere, dicere seu ordinare aut tractare, propter quod oriri possit scandalum aut dissensio vel divisio in Universitate predicta, aut inter scholares ipsius. Et quod aliquis pro predictis vel aliquo predictorum non audeat vel presumat se congregare, vel in aliquo loco cum alijs convenire, sub pena cuilibet contrafacienti, et vice qualibet, decem librarum bon., quas si non solverit incurrens infra decem dies, privetur omni commodo et honore universitatis predicte; a qua privatione restitui non possit, nisi dicta pena soluta. Item quod aliqua ex Nationibus Universitatis non possit, audeat aut presumat se cum alia sociare aut ligam, conspirationem, septam, iuramenta vel confederationem facere pro supradictis vel aliquo eorum faciendis, tractandis seu explicandis, nec aliquem sibi officialem assumere vel eligere, sub quovis nomine, nisi quatenus et prout licet eisdem per statuta Universitatis; sed Natio quilibet divisa et distincta ab alia esse debeat et manere, pena cuilibet Nationi contrafacienti viginti quinque librarum bon., et cuilibet officiali Universitatis predictis consentienti decem librarum bon., et cuilibet scolari se pro [235] predictis congreganti quadraginta solidorum bon. Et nichilominus, vigore presentis statuti, quod contrafieret non valeat ipso iure, et sit capsum ac pro infecto habeatur et sit. Et in quolibet casuum predictorum quilibet possit accusare et denunciare contrafacientem, et habeat tertiam partem condemnationis, et si voluerit in credenti[a] teneatur. Statuerunt insuper, quod aliquis directo vel per obliquum non audeat vel presumat dare causam, propter quam scholares moveantur ad rixam, rumorem, septam aut conspirationem vel monopolium faciendum, pena decem librarum bon. cuilibet contrafacientij et pro qualibet vice. Que pene solvi debeant infra octo dies postquam apparuerit aliquem de supradictis incurrisse vel contrafecisse. Alias ad privationem procedatur etiam Nationis totius, si Natio contrafecisset; a qua privatione restitui non possit, nisi pena soluta.

## **De modo et forma citandi et requirendi aliquem coram domino rectorj – Rubrica XX**

Item statuerunt et firmaverunt, quod quociescumque aliquis citari vel requiri debuerit coram domino Rectore, sufficiat ipsum citari semel inventum, vel bis non inventum ad domum habitationis, seu hospitium, etiam si pro eadem hora citetur seu requiratur diversis in diebus seu horis per alterum ex bidellis generalibus Universitatis predictae. Et si recessisse diceretur, vel se absentasse a Civitate Bononie, aut eius habitatio non reperiretur, sufficiat eum citari ut supra, alta tamen voce ad domum seu hospitium, in quo, seu in qua, ultimo morari consueverat, et si citatus ut supra, non comparuerit, contumax intelligatur et sit. Statuerunt etiam quod, si aliquis citari debuerit ad aliquam sententiam audiendam, sufficiat eum semel citasse personaliter inventum, vel bis non inventum, etiam si per eundem bidellum, dummodo non simul et semel, etiam si pro eadem hora citatus fuerit, de quibus omnibus et singulis stet et credatur relationj bidelli qui se citasse ut supra, diceret seu referret. Citari autem faciens semper in termino citationis debeat interesse et citati contumaciam accusare, alias citatus pro non contumace habeatur.

## **De causis civilibus viginti et quadraginta sol[i]dorum, usque ad tres libras – Rubrica XXI**

Item statuerunt et ordinauerunt quod dominus Rector questiones coram eo agitandas quantitatis viginti solidorum bon., vel infra, seu rei vel facti cuius extimatio esset vel esse videretur quantitatis viginti solidorum bon., vel infra, cognoscere et decidere possit et teneatur, etiam tempore feriato et sine libelli oblatione vel alia juris solemnitate, arbitrio ipsius domini Rectoris, et etiam per sacramentum delatum a parte parti, si de hoc partes convenerint, vel per ipsum dominum Rectorem delatum partj digniorj, et que melius videbitur ipsi domino Rectorj noscere veritatem questionis. Et eodem modo cognoscere et decidere teneatur questiones que fierent quando peteretur merces operum diurnarum, cuiuscumque fuerint quantitatis, usque ad quadraginta solidos bon. Ita tamen quod si contigerit petitori in aliquo casu predictorum iuramentum deferrj, teneatur etiam ipse petitor iurare quod sibi, aut ei pro quo petitur, nichil a convento debetur, ex eadem causa, ultra quantitatem petitam. Questiones vero, lites seu causas maioris quantitatis viginti solidorum bon. aliter quam supradictas, et minoris quantitatis trium librarum bon., seu rei aut facti, cuius extimatio esset a viginti solidis supra et a tribus libris infra, [236] possit et teneatur, etiam summarie et absque libello et strepitu iudiciario, oblata tamen quali quali petitione aut facto proposito et in scriptis per notarium in actis redacto, cognoscere et in eis et super eis procedere; ipsasque ex plenis probationibus, vel semiplenis, cum sacramento deferendo ei parti, que dignior et melius noscere veritatem questionis videretur eidem, terminare et executioni mandare; in quolibet supradictorum casuum possit et teneatur, reiectis quibuscunque exceptionibus minoris etatis, patrie potestatis, doli, non numerate pecunie et alijs quibuscunque, que ipsi Rectori frivole viderentur, et omni exceptione nullitatis, in integrum restitutionis, patrie potestatis, minoris etatis, seu appellatione cessante. Statuentes insuper quod predicta per ipsum dominum Rectorem omnino debeant terminari, singula singulis referendo, scilicet in primis duobus casibus infra decem dies, in tertio vero infra quindecim postquam citatus seu requisitus pro predictis, seu aliquo predictorum, comparuerit coram ipso domino Rectore, seu presens et non citatus respondiderit affirmando vel negando quod in petitione vel facti narratione continetur; quod facere teneatur incontinenti conventus cum comparuerit, vel presens fuerit, aliter ipse respondere debens pro confesso habeatur, et contra eum et eius bona procedi possit ut in sequenti statuto continetur. Pena ipsi domino Rectori in quolibet dictorum casuum quadraginta solidorum bon., Universitati applicanda. Et quilibet accusare et denunciare possit, et teneatur in virtute prestiti sacramenti et pena decem solidorum, et habeat tertiam partem condemnationis, et in credentia

teneatur. Et si predicta non fuerint terminata infra dicta tempora, ut supra, nichilominus infra octo dies postea subsequentes ipsa terminare teneatur, sub eadem pena. Quibus elapsis, instantia dicte cause que terminata non fuerit, ut supra, sit perhempta. Et Rector etiam ad interesse parti lese teneatur. Et ad hoc per Congregatorem et consiliarios cogi et effectualiter compelli possit, nisi iusta causa et rationabilis ipsum excusaret, pena ipsis consiliarijs viginti solidorum bon., pro quolibet, non servantibus predicta, et Congregatori quadraginta solidorum. Et nichilominus parti lese ad interesse teneantur. Et si citatus aliquis non comparuerit, nec alius pro eo, procedatur contra eum et eius bona, prout in sequenti statuto in non comparentibus est provisum. Statuentes insuper quod in quolibet casuum predictorum, si is qui agere voluerit non esset de universitate aut universitatj suppositus, antequam audiatur debeat dare pignus ydoneum depositario, seu alteri ex bidellis generalibus, depositario tradendum, ut infra in sequenti statuto, de dimidia eius quantitatis quam peteret, seu extimationis rei vel facti, pro quo seu qua ageret, ita quod si contingeret ipsum subcumbere in pignore predicto victori possit effectualiter consuli de expensis.

### **De questionibus civilibus quantitatis trium librarum ab inde supra – Rubrica XXII**

Item statuerunt quod dominus Rector presens et qui pro tempore fuerit, possit et teneatur cognoscere de quibuscunque causis seu questionibus civilibus quantitatis trium librarum vel ab inde supra, seu rei vel facti, cuius extimatio esset seu esse videretur quantitatis trium librarum vel ab inde supra, vertentibus seu que verti contingerit coram eo inter aliquos de Universitate predicta seu dicte Universitati suppositos, aut alios quoscunque qui coram dicto Rectore conveniri possent seu respondere tenerentur, [237] vigore aliquorum statutorum dicte Universitatis aut aliquo jure vel consuetudine; et ipsas causas et questiones decidere possit et teneatur ac executioni mandare, et omnia et singula in eis et super eis et circa ea facere que quilibet iudex ordinarius, habens ordinariam jurisdictionem, facere posset. In quibus et super quibus possit et teneatur procedere ac ea terminare et exequi summarie et de plano sine strepitu et figura iudicij, reiectis etiam quibuscunque exceptionibus patrie potestatis, minoris etatis, doli, non numerate pecunie et alijs quibuscunque que ipsi Rectori, boni viri arbitrio, frivole, maliciose, pro[tr]actorie seu cavilose viderentur. Pro quorum expeditione teneatur qualibet ebdomada per se vel substitutum, in casum in quem substitutum habere posset, scilicet die lovis non festiva solempnj, aliter primo die sequentj non festivo, in tertijs ad stationem generalium bidellorum venire et stare usque ad horam debitam. Et si dicta die impediatur venire, aut comode venire non possit, sequenti die non festivo solempni eadem hora venire et stare teneatur ut supra, donec aliquis velit aliquid dicere, petere vel proponere coram eo; possit etiam alijs diebus et horis venire et stare ad stationem predictam ac ius reddere. Procedatur autem in dictis causis seu questionibus ut infra subicietur, videlicet quod, oblato libello seu petitione quali quali coram ipso domino Rectore, etiam ubicunque, aut facti narratione, ex quo seu qua aliquid concludatur, in actis per notarium Universitatis redacta et scripta, citetur et requiratur is, qui conveniri videretur secundum formam supra traditam in statuto *De modo et forma citationum fiendarum*, pro ea die qua Rector venire et stare ad stationem pro iure reddendo teneatur, quod compareat ad respondendum de jure citari facienti. Et si quidem in termino citatus comparuerit per se, procuratorem, vel curatorem, aut alius legitime venerit pro eo, Rector pronuntiet personas legitimas et incontinenti respondeat, et respondere teneatur talis citatus, simpliciter sine aliquo temporis intervallo dicte petitioni seu libello aut narrationi, affirmando vel negando contenta in dicta petitione seu libello aut narratione, alias habeatur pro confesso, ac si confessus fuisset sponte in iudicio; ad petitionem partis possit et teneatur dominus Rector precipere quod ad terminum decem dierum debeat dare, facere vel solvere contenta in dicta petitione seu libello aut facti narratione. Si

autem talis citatus aut conventus personaliter respondiderit seu affirmaverit respondendo contenta in dicto libello, seu petitione aut narratione, et ea que petuntur vera esse, tunc dictus dominus Rector precipiat et precipere teneatur, si presens fuerit, quod debeat solvere quantitatem pecunie aut restituere et alia facere ut in petitione seu libello continetur ad terminum decem dierum, aut plus, si partes fuerint in concordia, et de voluntate processerit dicti actoris. Si autem absens fuerit, teneatur dictus Rector precipi facere per alterum ex bidellis quod ad terminum decem dierum det, solvat, restituat seu tradat id, quod in libello, petitione, seu facti narratione continetur, quo termino in quolibet casuum predictorum elapso, si non solverit vel satisfecerit, possit et debeat privari, et eo privato, aggravari, et alijs quibuscumque remedijs procedi, ita quod omnino satisfaciat habere debenti. Si vero negaverit contenta in petitione, libello seu facti narratione vera esse, ordinetur dilatio actorj, seu parti eius, sex dierum continuorum ad probandum de iure suo, et partis sue. Infra quam, parte tamen citata et ubicumque, possint iuramenta testium recipi. Et [si]quam intentionem exhibuerit actor, quam exhibere possit, etiam ubicumque data copia parti si voluerit et factis jnterrogatorijs, si facta fuerint infra dilationem competentem, ipsisque examinatis per sapientem Universitatis in casu in quo non daretur suspectus, ubi causa legitima sit que appareat Rectorj et Consiliariorum maiori parti, possint testes per [238] notarium recipi et examinari et ubicumque. Et idem fiat et observetur e converso, si pars conventa aliquas probationes in dicta dilatione vel alia eidem assignanda facere voluerit. Hoc addito et expresse statuto, quod utraque pars infra primos tres dies dicte prime dilationis date ad probandum teneatur pignora idonea deponere penes massarium seu depositarium Universitatis predictae si ipsius copia haberi potuerit, alias penes unum ex bidellis generalibus Universitatis, qui bidellus ea die vel sequenti designare et tradere eidem massario seu depositario teneatur omnino. Recipiens autem teneatur dicere et scribere super libro aut pignore sic deposito pignus cuius est, et pro qua questione, et pro quanta quantitate est sibi datum pro pignore, sub pena ipsi bidello cui designatum fuerit pignus predicta non facientj seu fieri facienti pro qualibet vice, quadraginta solidorum bon. ipso facto eidem et incontinenti auferenda per dominum Rectorem, pena ipsi Rectori, si negligens fuerit, quinque librarum bon. pro quolibet et qualibet vice. Dentur autem et tradantur pignora predicta, ut supra, infrascripto modo, videlicet reus conventus de tanta quantitate quanta est quantitas petita seu esset, seu esse videretur, seu peteretur extimatio rei petite aut facti jn iudicium deducti et ultra, si questio fuerit a tribus libris supra usque ad decem libras, det quinque libras bon. De decem vero libris et ab inde supra usque ad viginti quinque, det et dare debeat pignus octo librarum bon.; ab inde vero supra, quantacumque sit quantitas, det decem libras bon., ultra quantitatem petitam seu extimationem rei petite aut facti in iudicium deducti. Agens vero de dimidia quantitatis de qua fuerit questio seu extimatio rei vel facti in iudicium deducti dare et designare pignora teneatur ut supra. Et siquidem dicta pignora deposita non fuerint ut supra, si fuerit actor qui non deposuerit, cadat ab omni suo jure, et reus conventus absolvi possit et debeat a petitione dicti actoris et a contentis in ea. Reus autem pignus non deponens, ut supra, pro confesso habeatur, et contra eum fieri possit sententia condemnatoria ac si legitime probatum foret quod in libello, petitione aut facti narratione deductum esset. Dicta autem dilatione statuta actorj ad probandum elapsa, ordinetur dilatio reo et parti eius, si petierit, similis sex dierum ad probandum, infra quam actori liceat probare; jnter seu infra quas dilationes ordinatas quelibet ipsarum partium suas probationes tam per testes quam per jnstrumenta et jura facere teneatur. Verum, quia contingere posset aliquo casu testium absentiam allegari, et hoc maliciose fieri solet ut plurimum, stautuerunt quod siqua partium testium absentiam allegaret quos assereret se producere velle, ante omnia jurare teneatur ad sancta dei evangelia, tactis scripturis, predicta vera esse, et animo calumpnie non hoc dicere. Quo casu possit dictus dominus Rector dilationem probatoriam tali alleganti, suo arbitrio, attento loco in quo testes dicerentur esse, et arbitrio boni viri, ordinare, dum tamen occasionibus antedictis non possit ordinare maiorem dilationem unius mensis. Et siquo tempore apparuerit de calumpnia petentis

dilationem predictam, vel si dictus allegans absentiam, non probaverit per testes predictos quod intendit, quantum tamen in eo fuit, penam decem librarum bon., applicandam Universitatj, ipso facto incurrat, quam si non solverit amonitus, privetur; a qua privatione restitui non possit, nisi dicta pena soluta. Tempus autem dicte dilationis in termino mensis statuti ad causam terminandam minime computetur. Elapsis vero dilationibus probatorijs, publicetur processus et attestaciones testium et omnia et singula in causa et super causa actitata et facta. Et teneatur dominus Rector committere Sapienti Universitatis, secundum cuius consilium predicta terminentur, nec possit alteri comittere, nec de alterius consilio terminare, nisi aliqua partium eum suspectum habuerit et [239] iustam suspicionis causam allegaverit et proposuerit, et ipsa pars, corporaliter prestito coram ipso Rectore sacramento, iuraverit ad sancta dei evangelia se ipsum suspectum habere et ex iusta et rationabili causa suspicionis; quo casu teneatur idem Rector predicta consulenda committere ei, qui ipsum Sapientem, vigore statuti, representare potest et pro eius substituto habetur, nisi similis causa suspicionis allegaretur, proponeretur et iuraretur ut supra. Et tunc possit Rector etiam alij committere supradicta, et secundum quod consultum fuerit terminare. Facta autem assumptione Sapientis, et deposito salario Sapientis et notarij, Rector statuatur terminum dictis partibus ad accipiendum copiam processus et opponendum et probandum et habere probatum omnes suas oppositiones et exceptiones, siquas proponere et allegari voluerit, sex dierum; infra quem terminum seu dilationem quilibet possit opponere quod sibi videbitur et probare coram notario Universitatis, etiam absente Rectore, dum tamen reus presens sit sacramentis testium, vel legitime citatus. Predicta autem ipse dominus terminare teneatur, absolvendo vel condemnando, infra unius mensis spatium a die, qua conventus comparuerit et respondiderit, sub pena ipsi domino Rectorj tante quantitatis quanta fuerit quantitas petita seu extimatio rei vel facti petiti, pro dimidia Universitati, et pro alia dimidia agenti applicanda, et sub alijs penis in statuto contentis. Sententia vero lata, possit et teneatur ipse Rector antequam discedat a banco, incontinenti post sententiam latam, expensas taxare et declarare secundum quod per Sapientem Universitatis vel substitutum ejus taxatum fuerit seu declaratum; quod etiam locum habeat in quibuscumque expensis refitiendis, sive vigore presentis statuti sive proxime precedentis aut cuiusvis statuti universitatis predictae. Quam sententiam et in sorte et in expensis, elapsis demum octo diebus, si condemnatus non solverit, vel fecerit infra dictos octo dies id quod in sententia continebitur, possit et teneatur idem Rector exequi et executionj mandare quibuscumque remedijs, etiam faciendo pignus depositum, ut supra, obtinenti tradi pro ipsa quantitate, pro qua fuerit condemnatus in sententia predicta, et pro expensis per ipsum dominum Rectorem taxatis; in quibus et pro quibus depositarius Universitatis teneatur parere ipsi domino Rectori: et si eius Rectoris mandato pignus dederit aut restituerit, liberatus sit et esse intelligatur. Victor autem, cum vicerit, suum pignus habere possit et debeat. Et quia plerumque pro impedienda executione malitiose opponitur exceptio solutionis satisfactionis partj vel transactionis, et contra veritatem, statuerunt quod de solutione alicuius quantitatis vel rei debite vigore alicuius sententiae late secundum formam presentis vel proxime precedentis statuti, probari non possit, nisi per instrumentum publicum vel scripturam, cuj fides debeat adhiberi. Et si in aliquo casu recipere debens recusaret alterum predictorum facere, possit is quj teneretur, id quodolvere seu dare deberet, deponere penes notarium universitatis aut alterum ex bidellis generalibus universitatis; quo deposito facto, incontinenti liberatus sit et esse intelligatur, et si privatus foret restituj debeat, soluta tamen privationis pena primo. Si vero citatus et requisitus, ut supra, per se vel alium non comparuerit, prestito iuramento calumpnie per actorem, pronuntiet Rector interloquendo citatum ipsum contumacem et tenutam ex primo decreto de bonis eius dandam esse pro mensura quantitatis petite, seu extimationis rei vel facti petiti ad petitionem dicti actoris, etiam absente dicto tali citato. Et iterum citetur ipse conventus semel, etiam si inventus non fuerit, quod veniat ad defendendum sententiam; et si infra terminum non comparuerit ipse, nec aliquis pro eo, mandet Rector tenutam darj de bonis eius, salvo

jure omnium, de quibus bonis per bidellum tenuta dari possit si reperiantur de quantitate petita et expensis legitime factis et fiendis in dicta [240] causa et eius occasione. Si autem retulerit bidellus se bona non reperire, ipse Rector expensas factas teneatur taxare, et tunc privetur talis conventus et per scholas publice privatus denuntietur; a qua privatione restitui non possit, nisi comparuerit et expensas parti adverse refecerit per Rectorem taxatas, quas deponere teneatur penes notarium universitatis, et pignus dederit, ut supra, penes depositarium universitatis predicte aut bidellis generalibus, de parendo mandatis domini Rectoris et solvendo omnem condemnationem de eo fiendam, et universitati solverit decem solidos bon. Quo facto, restitutus sie et esse intelligatur ipso facto, et in prima die qua Rector sederit ad banchum pro jure reddendo, comparere teneatur coram eo, et respondere dicte petitioni simpliciter affirmando vel negando contenta in petitione, absque aliqua dilatione vel termino, et ad alia procedatur, ut supra, ac si ab initio comparuisset, salvo quod aliud pignus dare non teneatur. Pars vero actoris infra terminum, ut supra, pignus seu pignora pro sua parte deponere teneatur, ad penam supradictam. Sj vero bidellus de bonis talis conventi reperuisse retulerit, et tenutam ex primo decreto dedisset, tunc cridari debeat publice per ipsum bidellum per scholas, per quas solitus est bidellus predictus cedulae legendas legere scolaribus in scholis existentibus, et etiam ante domum habitationis dicti conventi, si habitare reperiretur in Civitate Bononie, quod si est aliquis, qui velit defendere dicta bona aut dictum conventum seu dicere velit ius aliquod habere in dictis bonis, coram ipso domino Rectore infra tertiam diem debeat comparere. Et si aliquis infra dictum terminum comparuerit, qui dicta bona velit defendere, vel dicat se jus in dictis bonis habere de quibus data esset tenuta predicta, audiatur, et jura utriusque partis tam actoris quam comparentis examinentur, et secundum quod iuris fuerit terminetur. Sj autem aliquis non comparuerit, elapso termino statuatur parti actoris dilatio, etiam absente et non citato ulterius dicto contumace ad probandum de jure suo, et probationes recipiantur, et adjudicatio in solutum fieri possit actori de consilio tamen dicti Sapientis. Statuerunt etiam quod fienda per eum in predictis, circa predicta et quolibet predictorum, valeant et teneant et habeant plenum robur. Et quod in predictis et quolibet predictorum intelligantur fore servata omnia et singula solemnities juris seu alia que de iure requiruntur, dummodo predicta fuerint observata, et quod a sententijs, pronuntiationibus ipsius domini Rectoris factis, ut supra, nullo modo possit appellari, de nullitate dici vel opponi, aut in integrum restitutio postulari aut peti, vel aliquid dici vel fieri per quod impediatur vel impediari possit quominus dicta sententia, lata per dictum dominum Rectorem, effectualiter mandetur executioni. Insuper statuerunt, cum non deceat scholares in litigijs permanere sed studio vacare continuo et intendere, quod ab aliqua sententia per dominum Rectorem ferenda, aut per Consiliarios et Congregatorem in casibus sibi permissis, appellari non possit, nec in integrum restitutio postulari, aut aliquis alius actus fieri per quem predicta vel aliquid predictorum faciens videatur velle de iniquitate seu nullitate sententie conqueri, pena cuilibet contrafacienti, et pro vice qualibet, viginti quinque librarum bon. Et nichilominus quod contrafieret non valeat, et sententiata possint exequi et executioni mandarj quibuscumque remedijs opportunis, predictis aut predictorum aliquo non obstante. Pro quorum executione possit recurri ad dominum Vicarium domini Potestatis et eius auxilium etiam implorari, presentem iuxta formam in privilegijs scholarium attributam. [241] Item quod si contingat aliquem scholarem in jure canonico vel civili litigare coram Rectore, Congregatore et Consiliarijs Universitatis, statuerunt quod non audiatur alias, nisi fecerit licentiam dari et precipi alteri et per alterum ex Rectoribus suis Sapienti Universitatis predicte vel ej qui eum representaret et ejus substitutus esset, quod in causa et questione predicta agitanda possit consulere et alia facere, que pro questione decidenda occurrerint facienda, pena ipsi Rectori eum aliter audienti decem librarum bon. Item quod nullus debeat vel audeat ducere aliquem advocatum vel procuratorem vel aliam personam procurantem pro eo, nisi sit persona predicte Universitati supposita.

### **De causis civilibus rectoris, seu cum rectore agitandis – Rubrica XXIII**

Quoniam sepe contingit et contingere potest dominum Rectorem, durante Rectoratus officio, velle civiliter agere contra aliquem eius debitorem vel alium qui ad aliquid dandum vel faciendum eidem tenetur, aut e converso aliquem vel aliquos civiliter causare velle coram ipso Rectore, et durum sit, quoniam dampnosum esse possit, expectare donec ipsius officium sit finitum, nec provisum reperiatur per statuta Universitatis coram quo vel quibus per ipsum dominum Rectorem vel contra eum talia possint litigia agitari, statuerunt quod si contigerit de cetero dominum Rectorem, durante officio Rectoratus, velle civiliter agere contra aliquem, aut alium quemcumque velle agere contra ipsum dominum Rectorem, quod Congregator et Consiliarij Universitatis predictae, seu maior pars Consiliariorum cum Congregatore, nisi questio esset inter Congregatorem et Rectorem, quo casu Consiliarij cum Sapiente Universitatis, sint et esse intelligantur iudices competentes quantum ad predicta. Et possint et teneantur summarie et de plano, reiectis quibuscunque exceptionibus minoris etatis, patrie potestatis, doli, non numerate pecunie, et alijs quibuscunque, que eis frivole seu malitiose viderentur, in quibuscunque et super quibuscunque causis, litibus seu questionibus agitandis, ut supra, pro dicto Rectore vel contra eum procedere, cognoscere et terminare, dum tamen in terminando habere debeant consilium Sapientis [et sindici] Universitatis [predictae], vel eius, qui ipsum, auctoritate presentium statutorum, representaret, et ipsum sequi et non aliter. Acta autem dictarum causarum scribi debeant per notarium universitatis. Volens autem litigare, ut supra, teneatur petitionem qualem qualem coram Congregatore ipsorum Consiliariorum porrigere etiam ubicumque, et ipse Congregator citari facere teneatur, secundum modum statutum de modo et forma citationum fiendarum, eum contra quem offeratur petitio, ut die jovis proxime sequenti, in vespere, compareat coram eo et Consiliarijs ad stationem generalium bidellorum. Pro qua etiam Consiliarios requiri facere teneatur, ut adsint ad stationem predictam. Ad cuius requisitionem Consiliarij se congregari teneantur sub pena periurij et sub pena quinque solidorum, nisi iustam excusationem haberent. Comparente autem citato, vel non, procedatur per dominum Congregatorem et Consiliarios, vel maiorem partem, secundum ordinem traditum in statuto universitatis predictae loquente de causis civilibus, distinguendo quantitates, res vel facta, super quibus questiones seu cause verterentur et singula singulis ad dicta statuta referendo, prout ad predicta poterunt adaptari. Congregator autem et Consiliarij antedicti quamdiu questiones seu cause predictae aut lites finem acceperint, cum effectu teneantur, sub dicta pena, singulis diebus jovis hora vesperearum comunium se ad stationem et in statione predicta congregare et stare competentj hora.

### **De scriptis privatis recognoscendis – Rubrica XXIV**

[242] Item statuerunt, quod quicumque scripsisse diceretur manu propria aliquam scriptam privatam, compelli possit et valeat quibuscunque remedijs opportunis per Rectorem, ad petitionem eius cuius interesse videretur, dictam scriptam coram ipso Rectore recognoscere, et fateri vel negare utrum ipsam scripserit, vel non. Et siquidem diffiteatur ipsam scripsisse, possit et valeat remedijs opportunis compelli ad scribendum, et facta comparatione de scriptura quam fecerit, vel de alia cui fides debeat adhiberi, si reperietur et declarabitur scripsisse, condempnetur in duplum eius quod scripta, que recognosci petebatur, continebat; et sive fuerit confessata, sive non, dummodo per comparationem appareat eius manu, possit et valeat ex ea agi et probari si obligatoria esset, etiam si locus, causa, tempus vel testes in ea non contineantur, et dicta pena applicetur tota Universitati.

### **De modo et forma servanda in questionibus vertentibus inter scolares in eodem hospitio commorantes – Rubrica XXV**

Quia societas jus obtinet fraternitatis, et plerumque inter socios diverse oriuntur questiones quapropter oportet eos a societate recedere, statuerunt quod si contingerit aliquem sociorum societati contracte renuntiare, et de domo seu hospitio comunj in quo cum socijs habitabat velle recedere, allegando causam legitimam contra socios vel aliquem eorum que boni viri [arbitrio], attenta probationis difficultate, probaretur vel de ea fides fieret, hoc eidem liceat, et eo casu pensionem hospitij pro rata tantum solvere teneatur eius temporis quo inhabitasset; et alij socij, qui causam prestitissent, pro toto residuo solvere teneantur. Bona autem comunia, siqua essent, dividantur et dividi debeant boni viri arbitrio sic quod quilibet partem habeat seu extimationem condecens. Si autem aliquis sociorum sponte absque causa legitima, ut supra, societati renuntiaret et de domo seu hospitio recedere vellet, integram pro sua parte teneatur solvere pensionem, et nichilominus consocio seu consocijs ad omne ipsorum interesse teneatur. Quod interesse declaretur, habita de eo fide. Bona autem comunia dividantur ut supra. In neutro autem casuum predictorum liceat recedenti de domo seu hospitio aut camera, loco sui alium ponere in hospitio, domo seu camera predictis, absque voluntate reliquorum sociorum remanentium aut maioris partis eorum, pena etiam intranti ad inhabitandum preter voluntatem aliorum, ut supra, trium librarum bon. universitati applicanda. Statuerunt insuper quod, si aliquis sociorum insimul in eadem domo, hospitio seu camera habitantium male cum alijs se gereret, vel alios calumpniaret vel molestaret indebite, quod facta fide domino Rectori, ipse Rector teneatur opportunis remedijs talem male se gerentem aut alios inquietantem vel calumpniantem, ut supra, de domo expellere; quo casu expulsus totius temporis pensionem solvat, et bona comunia dividantur bona fide, ita quod quilibet habeat suam partem vel extimationem ut supra; cuius alternative electio sit remanentis aut remanentium in domo, camera seu hospitio.

### **De questionibus criminalibus et modo procedendi in eis – Rubrica XXVI**

[243] Preterea statuerunt et ordinaverunt quod si contingeret, quod Deus avertat, aliquas lites, discordias seu questiones criminales, seu criminum aut delictorum occasione, oriri propter scolares aliquos Universitatis aut Universitatj suppositos, teneantur dominus Rector et Consiliarij pro posse lites predictas sedare et pacificare; quibus tales scolares parere et obedire teneantur in predictis. Et si sedari et tolli non possent, et dicte lites, questiones seu discordie essent leves, videlicet verborum iniuriosorum, vel simplicis insultus sine armis, preterquam ad domum, seu diffamationis vel alterius serv[e] iniurie vel offense realis vel personalis et civiliter per alterum predictorum agi contingeret, possit et teneatur dominus Rector presens et quilibet qui pro tempore fuerit, de predictis et super predictis cognoscere ad petitionem eius qui se offensus vel iniuriatum assereret, procedere et terminare, ac executioni mandare; in quibus et super quibus servare teneatur formam statuti suprapositj de questionibus civilibus quantitatis trium librarum vel abinde supra; et valeant fienda per eum, nec non omnia et singula in dicto statuto disposita, et in presenti repetita esse intelligantur, quatenus tamen adaptari possunt. Possit insuper et eidem Rectori liceat, absolute inquirere de predictis, et ex

probationibus, factis tam super petitione quam repertis, per inquisitionem procedere et terminare ut supra, dum tamen condemnare seu absolvere non possit, nisi de consilio Sapientis Universitatis predictae [et sindicj]. Si vero lites, questiones vel controversie predictae alterius delicti seu maleficij fuisse dicerentur, teneatur ipse dominus Rector delinquentem privare et pecuniariter condemnare suo arbitrio, attenda facti qualitate et personarum conditione, etiam ab utraque parte, si expedierit, plenarie fine habita de delicto per testes a parte offensi producendos, aut per ipsum Rectorem ex officio per inquisitionem receptos, quam eidem facere liceat vel per utrosque. A qua privatione privatus non possit restituji perpetuo, nisi de voluntate et consensu offensi vel eius heredum, de quibus appareat publicum instrumentum scriptum manu notarij Universitatis, aut alterius notarij si fiat extra civitatem vel districtum Bononie, et universitati vel eius depositario vice et nomine dicte universitatis recipientj, solverit penam et condemnationem predictam. Ubi autem aliquis alius de universitate aut universitati obediens seu suppositus, offenderit seu offendisse diceretur in persona vel bonis aliquem de dicta Universitate aut eidem suppositum, teneatur dominus Rector et Consiliarij, ac ipsa Universitas ad offensi seu qui offensus diceretur, requisitionem, eidem prebere auxilium, consilium et favorem, et eundo coram domino Conservatore Civitatis Bononie, domino Potestate et suis iudicibus et coram quocumque alio officiali Comuni bononie, seu ipsius domini Conservatoris et coram eis et quolibet eorum, ad cuius officium seu jurisdictionem predicta pertinere viderentur, factum exponendo, rogando et postulando quod ad instantiam et executionem iustitie procedatur. Nec non possit et teneatur dominus Rector, si eidem et Consiliarijs aut maiori parti eorum visum fuerit expedire, offensum associari facere tam per civitatem Bononie quam in palacijs Comuni aliquibus scolarijs honestis, quos voluerit, qui teneantur parere Rectori et Consiliarijs in predictis, sub pena per eos imponenda; qui scolares cum ipso vel eius parte possint et teneantur in palatio et alibi ipsius negocia sollicitate procurare. Et nichilominus possit ipse Rector ex suo officio contra offendentem procedere ad perpetuam privationem ipsius et [244] bonorum eius, et ab omni honore et commodo universitatis, a qua perpetuo restitui non possit sine consensu et voluntate ipsius offensi vel eius heredum, de qua constet per instrumentum, ut supra, et solverit Universitatis depositario penam in privatione contentam. Possit etiam quilibet privatus, ut supra, restituji, pena vel condemnatione soluta ut supra, etiam sine offensi consensu vel iniuriati post lapsum quinquenij, si offensus aut eius heres non esset in civitate, comitatu vel districtu Bononie, et ipsi domino Rectori et consiliarijs aut duabus partibus ipsorum videretur, et alias non. Item quod si offensio fuerit tanta quod reus veniret puniendus in aliquo membro vel in persona, et tunc in tali casu dominus Rector relinquat officialibus Comuni Bononie. Ubi autem offensio non esset tanta quod offendens non deberet puniri pena personalj vel alicujus membri, possit et debeat Rector contra ipsum offendentem procedere secundum formam presentis statutj.

### **De pena producentium falsos testes – Rubrica XXVII**

Item statuerunt quod si aliquis litigantium coram domino Rectore in aliqua causa scienter produxerit aliquem testem falsum, aut eius dicto falso scienter uteretur, et hoc constiterit domino Rectorj, siquidem actor fuerit cadat a jure suo, si autem reus, pro confesso et condemnato habeatur de his que petebantur ab eo. Et nichilominus quilibet ipsorum penam incidat viginti librarum bon.; quas penas si quis predictorum solvere neglexerit, privetur; a qua privatione restitui non possit, nisi dicta pena primo soluta. Et dominus Rector contra predictos et quemlibet eorum teneatur procedere sub pena viginti librarum bon. Audiatur autem quilibet accusans seu denuntians, etiam si in secreto teneri voluerit aliquem predictorum, et dicto de crimine habeat tertiam partem condemnationis, reliquis duabus partibus inter Rectorem et Universitate pariter dividendis.

### **De sequestrationibus fiendis de bonis scholarium fugitivorum – Rubrica XXVIII**

Quoniam plerumque contingit aliquos scholares fugitive velle recedere propter aliqua debita que eos aliquando contingit habere, idcirco statuerunt, quod si contingeret de cetero aliquem scholarem dici fugitive velle recedere et hoc allegetur et dicatur coram domino Rectore per aliquem, qui se dicat creditorem ipsius, prestito sacramento prius a sic alligante et dicente quod predicta vera sunt et quod animo calumpnie non petit fieri sequestrationem, quod omnia bona predicti scholaris possint et debeant sequestrari per alterum ex bidellis generalibus Universitatis ex parte domini Rectoris, ad petitionem talis asserentis se creditorem et domini Rectoris, penes aliquam idoneam personam qui dicta bona custodire et salvare debeat donec sequestratio revocetur, sub pena in precepto domini Rectoris comminata. Et credatur tali bidello sequestranti, si retulerit se rem sequestratam tradidisse sequestr[ari]o, aut eam penes eum vidisse, seu dictum sequestrarium confessum fuisse penes se habere rem predictam. Et si bidellus, cui facta fuerit commissio predicta, retulerit se non reperire de bonis mobilibus de quibus possit sequestrare, tunc Rector qui pro tempore fuerit, facta sibi aliquali fide de fuga seu recessu, que sibi boni viri arbitrio sufficere videatur, et prestito sacramento, ut supra, licentiam possit dare tali asserenti se creditorem, quod possit facere talem fugitivum detineri; et si detentus fuerit et satisdederit de iudicio sisti et iudicato solvendo, relaxetur, et aliter non; pena cuilibet Rectori qui predicta non observaverit centum solidorum pro qualibet vice.

### **De scriptoribus sub rectore conveniendis – Rubrica XIX**

[245] Item statuerunt quod scholares Universitatis si contra scriptores vel miniatores aut correctores agere voluerint, teneantur eos convenire coram domino Rectore, et quod ipsi scriptores, correctores et miniatores teneantur et debeant coram eo respondere; et si dicti scriptores, correctores vel miniatores audientiam dicti Rectoris aut ipsum recusaverint, quod ipse Rector, qui pro tempore fuerit, teneatur talem scriptorem, correctorem vel miniatorem privare ad petitionem scholaris. A qua privatione restitui non possit nisi solverit universitati viginti solidos bon. et consensum habuerit ab eo, qui ipsum privari fecisset.

### **De pena eius qui maliciose accusavit aliquem de universitate aut universitati suppositum; et qualiter et coram quo debent universitati suppositi conveniri – Rubrica XXX**

Cum deceat remedijs opportunis calumpniantes pro posse repellere ac calumpnijs et malicijs obviare, statuerunt quod si aliquis calumpniosam vel maliciosam accusationem fecerit seu instituerit contra scholarem aliquem de Universitate predicta, aut ipsi Universitati suppositum, aut officialem, et trina ammonitione a Rectore, vel de eius mandato, ammonitus non desistat, quod ipse et filij usque in gradum tertium per Rectorem priventur, et privati per scholas publice nuntientur per alterum ex bidellis generalibus infra tres dies a die ultimi termini tertie ammonitionis; a qua privatione restitui non possit, nisi de voluntate eius pro cuius facto privatus fuerit, et solverit universitati predictae decem libras bon.

Adeo quod nullus scholaris vel quivis alius audeat vel presumat aliquem scolarem de Universitate aut ipsi Universitati suppositum, vel officialem accusare, denunciare, citare, notificare vel convocare, aut citari, accusari, denunciari aut notificari facere, nisi coram Universitatis Rectore, sive ipsius Rectoris licentia. Et si quis contrarium fecerit, nisi, ammonitione facta per alterum bidellorum ex parte Rectoris, desisterit et expensas factas per partem adversam, siquas fecerit, et per dominum Rectorem taxatas, infra tertiam diem restituerit, per Rectorem privari debeat, omni exceptione remota, et privatus per scholas per bidellum generalem publice nuntiari; a qua privatione in proximo casu restitui non possit, nisi nomine pene solverit universitatj centum solidos bon. Declarantes et generaliter addentes, quod nullus scholaris nec doctor actu legens, sive sit forensis sive civis, nec etiam aliquis alius universitati suppositus, possit conveniri pro aliqua re mundi coram aliquo iudice vel alia persona, nisi coram Universitatis Rectore, sine eius licentia. Et nichilominus in quolibet casuum predictorum contrafaciens, cadat ab omni et quocumque jure suo. Et si contigerit aliquem scolarem Universitatis vel Universitati suppositum, aut dicte Universitatis notarium, aut bidellum dicte Universitatis, Sapientem vel Syndicum, seu aliquem eorum citari, trahi vel conveniri in alio quocumque foro quam Rectoris maliciose, civiliter vel criminaliter, quod dominus Rector una cum Consiliarijs teneatur talem conventum, citatum aut tractum defendere toto posse. Et si opus fuerit possit convocare doctores, scholares, nationes et quemlibet per se, prout sibi videbitur expedire. Et eodem modo que dicta sunt in defendendo, intelligantur esse dicta in agendo. Addentes etiam quod si aliquis conventus [246] coram dicto domino Rectore per aliquem de Universitate, aut Universitati suppositum, neglexerit comparere et parere mandatis domini Rectoris, aut comparens eius declinaverit iurisdictionem, privetur ipse et omnia sua bona; a qua privatione restitui non possit ipse nec eius bona, nisi satisfecerit ei qui ipsum convenisset, et solverit, nomine pene, Universitatj viginti solidos bon.

### **De pena conducentium opus scriptoris interdicti – Rubrica XXXI**

Item statuerunt quod si quis doctor vel scholaris vel quicumque alius, qui privilegio Universitatis gaudeat, opus alicuius scriptoris conduxerit, quj iam alicuj scolari se locaverit, vel qui Universitatis commodo quacunque de causa fuerit privatus per Rectorem, aut interdictus fuerit, nisi post ammonitionem desisterit, Rector illum per scholas faciat denunciari privatum, a qua privatione restitui non possit, nisi nomine pene solverit Universitati quinque libras bon. Et quod quilibet de predictis, sub virtute prestiti iuramenti, interrogare teneatur scriptorem antequam eum conducat, vel quemlibet alium, utrum opus alicujus scholaris habeat. Et si dixerit quod sic, eum non conducat. Si autem scriptor eum decipiat dicendo non habere, cum habeat, universitatis commodo eum voluerunt esse privatum, et non possit restitui nisi solvat Universitati quadraginta solidos bon. et perficiat primum opus; item quod si aliquis scriptor recipiat pecuniam a pluribus personis et incipiat plura opera, postquam liquidum fuerit ipsi domino Rectori, quod ipse teneatur talem cogere ad perficiendum opus illius, a quo primo recepit pecuniam, vel cuius incepit primum opus, et sic de alijs successive per ordinem, et nichilominus cadat in penam quadraginta solidorum pro quolibet a quo receperit pecuniam.

### **De sententijs per rectorem executioni mandandis, a suis precessoribus latis – Rubrica XXXII**

Item statuerunt quod quilibet Rector, qui pro tempore fuerit, possit, teneatur et debeat infra decem dies postquam fuerit requisitus, omnes et singulas sententias a suo seu suis precessoribus latis quibuscumque remedijs exequi, et executioni mandare iuxta posse, etiam implorato domini Potestatis et

sue Curie et cuiuscuque alterius officialis Communis Bononie auxilio, sub pena centum solidorum bon. applicanda pro dimidia parte cui interesset, et pro alia dimidia Universitati. Et nichilominus teneatur ad interesse parti lese.

### **De convocatione fienda de consiliarijs quando aliquis dixerit se iniuste privatum – Rubrica XXXIII**

Item cum plerumque contingat Rectores procedere ad privationem scolarium seu aliquorum aliorum indebite ex a[b]rupto, aut statutorum ordine non servato, propter quod ad scandala eveniunt et plerumque posset perturbarj, ordinaverunt quod si contingat de cetero aliquem per Rectorem, qui pro tempore fuerit, privarj seu pronuntiari privatum, et talis privatus, seu privatus denunciatus, asserat se gravatum, seu se iniuste privatum et indebite, et hoc denuntiet per publicum instrumentum Congregatori Consiliariorum infra tertiam diem postquam privatus fuerit, seu denunciatus privatus, teneatur dictus Congregator, ea die vel sequentj post dictam denuntiationem convocari facere ad stationem generalium bidellorum [247] omnes consiliarios et etiam intimare Rectorj et ei qui sic se iniuste privatum assereret, quod ea hora, qua ipse Congregator putaverit convenire, debeant interesse. Quibus congregatis, vel saltem maiori parte Consiliariorum cum ipso Congregatore, ipse Rector causam privationis exponat, ipso privato seu denunciato privato presente. Cuius defensio et allegatio per ipsum Congregatorem et Consiliarios audiatur, de qua privatione et causis allegatis, ipse Congregator et Consiliarij et Sapiens et Syndicus Universitatis cognoscere possint et debeant. Et si ipsi Congregatorj et Sapiens ac Syndico et duabus partibus Consiliariorum videbitur privationem seu denuntiationem privationis iniustam, seu contra formam statutorum processisse, possint et teneantur talem privatum seu privatum denunciatum restituere facere. Si vero iuste privatus, et forma statutorum servata videbitur predictis, declarent ipsum iuste et rationabiliter privatum fuisse et esse, ipsumque restituendum non esse. Et nichilominus penam centum solidorum bon. universitati applicandam incurrat propter suam improbitatem et malitiam; a qua privatione restituere non possit, nisi etiam dicta pena centum solidorum bon. soluta. Interim tamen durante cognitione predicta pro non privato habeatur et tractetur. Que omnia expediri et terminari debeant per dictos Congregatorem et Consiliarios infra quindecim dies postquam dicta denuntiatio facta fuerit dicto Congregatori, pena Congregatori et Consiliarijs, qui in predictis fuerint negligentes seu predicta non observaverint, decem librarum bon. Universitati applicanda.

### **De modo et forma iuramenti doctorum – Rubrica XXXIV**

Item statuerunt et firmaverunt quod omnes et singuli doctores medicine, philosophye, loyce, grammaticae, seu aliarum artium legentes seu legere intendentes de mane aut in nonis, vel alia quacumque hora, teneantur et debeant iurare domino Rectori, qui pro tempore fuerit, servare omnia et singula presentia statuta et alia fienda per Universitatem, et obedire Rectori in licitis et honestis; quod sacramentum teneatur quilibet Rector procurare prestari debere, et quod effectualiter prestetur per dictos doctores infra quinque dies ab introitu sui officij sub pena decem librarum bon. ipsi domino Rectori, et tantundem doctori non juranti. Quam penam solvere teneatur quilibet doctor, si quis eam inciderit, infra decem dies postquam eam inciderit. Et si non solverit infra dictum terminum, privetur immediate, et ipso jure intelligatur privatus, a qua privatione non possit restituere nisi solverit dictam

penam. Nec possit ad aliquod salarium Communis Bononie per ipsam Universitatem et scolares usque ad duos annos tunc proxime secuturos eligi; et si eligeretur, ipso iure electio sit nulla.

### **De modo legendi in cirugia – Rubrica XXXV**

Item statuerunt quod doctores legentes in Cirugia debeant legere secundum infrascriptum modum, videlicet, quod omni anno in principio studij incipiant legere pro prima lectione Cirugiam Brunj, qua lecta, legatur cirugia Galienj. Pro secunda lectione primo legatur Cirugia Avicenne, qua lecta, legatur septimus Almansoris. Debeat autem quilibet doctorum ordinarie legens in cirugia legere post nonas, hora decima nona. Item statuerunt quod fiant puncta in Cirugia per alterum doctorum legentium in Cirugia, scilicet tot puncta quot sunt in alijs scientijs. Et quod debeat quilibet doctor legens [248] puncta taxata servare et ea, ut taxata fuerint, perficere et explere, sub pena viginti solidorum bon. pro qualibet vice. Teneatur etiam quilibet doctor legens in Cirugia disputare duas questiones in cirugia, et etiam plures et secundum quod doctores legentes in physica tenentur facere; et etiam teneatur eas terminatas dare ad stationem generalium bidellorum de bona littera et in bonis cartis, que perpetuo ad stationem et in statione predicta debeant permanere, ac per bidellos generales custodiri et salvarj, quas disputationes facere teneantur in nonis, nisi esset in ebdomada festum aliquod quod festaretur; qua die disputare possit de mane si aliud dector physice non disputaret. Disputare autem teneatur solum in cirugia et in terminis Cirugie, sub pena in statutis contenta. Item quod nullus audeat concurrere in faciendo aliquem actum quando doctores cirugie disputabunt; et quod Rector et doctores Medicine legentes teneantur ire ad eorum disputationes sicut ad alias, et ibi stare a principio usque ad finem, et arguere sicut arguunt ad alias, sub pena viginti solidorum pro quolibet. Item quod teneatur quilibet doctor in Cirugia legens omnia facere que tenentur alij doctores in alijs scientijs. Habeant autem pro eorum labore et salario viginti solidos bon. a quolibet qui audiverit in dicta scientia eorum doctrinam, pena cuilibet dictorum doctorum contrafacientj in predictis vel aliquo predictorum quinque librarum bon. in quolibet dictorum casuum et pro qualibet vice.

### **De salario doctorum artium, et de modo observando jn conductione camerarum – Rubrica XXXVI**

Quia nil tam conveniens est naturali equitati quam pacta servare, cum Pretor dicat *pacta servabo*, idcirco duxerunt statuendum quod si aliquis scholaris conducat in futurum per se vel alium Cameram vel cameras, aut domum vel hospitium alicujus doctoris vel repetitoris, et contingat eum nolle inhabitare dictam rem conductam, quod nichilominus integram solvat pensionem, et in eum casum omne suum jus possit ad alium vel in alios eque ydoneos ad utendum transferre, etsi habitatio illius vel illorum non impediatur alios cohabitantes in dicto hospicio vel camera dicti repetitoris vel doctoris. Ad solutionem vero salarij et mercedis cuiuslibet doctoris et repetitoris tam loyce quam aliarum artium, qui iuvaverit obedire in licitis et honestis et servare statuta Universitatis, infrascripto ordine procedatur, videlicet quod quilibet scholaris possit experientiam facere de doctrina cuiuslibet doctoris et repetitoris spatio quindecim dierum, quibus intretur a festo sancti Luce, et ante dictum terminum quindecim dierum ad solutionem alicuius salarij scholaris aliquis nullatenus astringatur vel astringi possit, etiam pro dicto tempore, nisi sibi doctrinam doctoris vel repetitoris post continuaverit. Elapsis vero dictis quindecim

diebus, inchoandis ut supra, possint tam doctores quam repetitores et ceteri magistri suam collectam facere tam de mane quam hora none, non obstante aliquo alio statuto; jta tamen ut scolares solventes de mane, ad aliam solutionem alia seu pro alia hora in eadem scientia compelli non possint ab uno et eodem doctore seu magistro; quam quidem collectam de mane liceat cuilibet doctori seu magistro solum semel facere in anno. Et idem dicimus de collecta fienda hora none. Declarantes insuper quod doctores seu magistri loyce pro suo salario et collecta bancharum possint habere et percipere a quolibet scolari pro uno anno quadraginta solidos bon. et ultra predictos quadraginta solidos non possint recipere ab aliquo scolari, sub pena decem librarum bon. pro quolibet a quo reciperetur. Et quilibet possit accusare et denunciare et teneatur in credentia. Et habeat accusans tertiam partem condemnationis. Pro collecta autem fienda [249] hora none possint a quolibet scolari, qui non solverit collectam de mane, licite in anno percipi et habere decem solidos bon. Repetitores autem speciales viginti solidos bon. percipiant et percipere possint in yeme et quindecim in estate, quantum est in repetitoribus loyce. Magistris vero grammaticae solvantur salarium triginta solidorum pro anno a non jacentibus in hospitio. A jacentibus autem habeant et habere debeant pro eorum salario quadraginta solidos bon. a quolibet; repetitoribus autem grammatice solvatur salarium viginti solidorum in hyeme et decem in estate. Verum quod aliquando contingit aliquos scolares post collectam supervenire, statuerunt quod per tales supervenientes tam doctoribus quam repetitoribus pro rata temporis ad rationem predictam fiat solutio et salarij satisfactio, dum tamen semper habeant quindecim dies post adventum ipsorum, ad faciendam doctrine experientiam, pro quibus aliquod solvere non teneantur, nisi doctrinam eiusdem sibi post continuaverint; quo casu solutio fiat ut supra. Predicta autem habeant locum ubi non esset conventio de certo salario facta, alias secundum conventionem solutionis fieri debeant, pena cuilibet contrafacienti in aliquo casuum predictorum centum solidorum bon. pro quolibet et qualibet vice. Item cum magistri grammaticae quj iuraverit obedire Rectori et servare statuta universitatis prefate facta et fienda, possit effectualiter cogere quemlibet scolarem tam magnum quam parvum non forensem, qui iacuerit per tres noctes in eorum hospitio, ad solvendum sibi totum salarium totius temporis, etiam si ad alium magistrum seu hospitium se transtulerit, non obstante quod de experientia quindecim dierum superius est statutum, quod declaramus locum habere in scolariis non iacentibus in scolis dictis quindecim diebus, tribus noctibus non forensibus. Et hoc ad evitacionem multarum enormium praticarum, quibus scolares sepe decipiuntur. Doctores autem et Repetitores quj non iurassent, ut superius dictum est, huius statuti beneficio gaudere minime valeant in aliqua parte suj, nec aliquo beneficio Universitatis. Forenses autem scolares possint experientiam facere de doctrina cuiuslibet Doctoris et Repetitoris spatium quindecim dierum, ut supra, etiam si dicto tempore in camera vel hospitio pernoctaverint; quo tempore elapso quilibet ad solutionem salarij totius anni co[m]pelli possit et valeat effectualiter. Item cum contingat scolares se mutare de uno magistro ad alium, propter quod aliquando oriuntur magne jnvidie, statuerunt quod aliquis Doctor aut Repetitor cuiuscumque facultatis existat, non audeat tenere aliquem scolarem in suo hospitio vel camera aut ad eius doctrinam seu audientiam, nisi primo satisfecerit magistro aut Repetitori, cum quo primo stabat, de eo quod eidem solvere tenebatur. Et hoc si talis cum quo primo stabat sit doctor vel repetitor quj iuraverit obedire Rectori, et servare statuta universitatis facta et fienda, et aliter non, sub pena decem librarum bon., quas solvere teneantur contrafacientes, nisi post quatuor dies postquam fuerit ammonitus pro predictis, talem scolarem expulerit de scolis et camera, aut satisfecerit predicto primo magistro aut Repetitori. Ad probandum autem quod aliquis fuerit scolaris alicujus magistri aut Repetitoris sufficiat sacramentum magistri aut repetitoris, et in casu predicto sacramentum pro plena probatione habeatur. Item cum contingat aliquem scolarem aliquando dimittere lectum aut libros per biennium et non solvere magistris seu eorum repetitoribus, statuerunt quod quilibet magister et repetitor post annum completum possit

libere vendere tam libros quam lectum ipso qui dimisisset antea, citato et requisito legitime Rectore, coram quo vel alio per eum deputando, debeant videri et extimari res predictae. Et siquid quod solvi deberet superesset, deponatur penes massarium seu [250] depositarium universitatis. Debeat autem per unum ex bidellis generalibus proclamari per scholas siquid supererit et cuius erant res. Et si talis cuius erant res, aut eius procurator compareat infra annum, eidem quod superest restituatur, alias, elapso anno, Universitati applicetur. Et si predicta non essent, vel essent, sed non sufficientia ad satisfactionem magistri et repetitoris recipere debentium et scholaris cuius esset debitor, nec amplius intraret seu intrare vellet scholas, quod quilibet iudex cuiuscumque conditionis existat, teneatur summariam cuilibet tam magistro quam repetitori jurato, ut supra, sine strepitu et figura iudicij facere de salario antedicto rationem. Item cum multi propter avaritiam, licet sint sufficientes latinarij, ad evitandum salarium magistrorum stent in cameris repetitorum, statuerunt quod nullus repetitor gramatice vel qujvis alius audeat tenere aliquem scolarem latinantem seu ad latinandum sufficientem in cameris eorum, sub pena centum solidorum pro quolibet quem tenuerit. Et quilibet magister possit cogere quemlibet de dictis scholaribus ad solvendum sibi ac si intraret scholas, et quilibet possit accusare de predictis et quolibet predictorum, et habeat tertiam partem condemnationis. Item quod quilibet predictorum teneatur ad solutionem collectarum bidellorum, sicut tenentur intrantes scholas, quod si non solvant Repetitores, qui eos tenuerint in cameris, de sua propria pecunia solvere teneantur tam doctoribus quam bidellis. Item quod nullus repetitor supradictus gramatice, aut generalis repetitor alterius cuiuscumque scientie teneatur ad solutionem cuiuscumque salarij alicuj magistro, sed quilibet teneatur ad solutionem camere et collecte secundum conventionem jnitiam seu habitam inter eos. Item quod quilibet magister gramatice teneatur intrare bis in die, scilicet in missa Sacti Petri et in vesperis parvis (\*), sub pena decem solidorum pro qualibet vice, nisi iusta causa subesset, que sacramento probetur. Item quod nullus magister alicuj repetitori audeat aliquod directo vel per obliquum accipere palam vel secrete pro expensis aquirendis seu questis eidem repetitori, sub pena decem librarum bon., et quilibet possit accusare palam et secrete, et habeat tertiam partem condemnationis. Item quod nullus magister audeat vel presumat, repetitore stante in scholis suis vel in hospitij suis, predicto repetitore auferre vel auferri facere expensas, nisi iusta subesset causa; de quo credi et stari debeat sacramento ipsius doctoris, sub dicta pena decem librarum bon. Item statuerunt quod aliquis famulus actualis, seu servitor alicujus non teneatur ad solutionem alicuius salarij alicuj doctori physice, phylosophye, loyce aut gramatice, nisi de propria voluntate aliquid solvere voluerit, quod in eius discretionem remaneat. Repetitores autem cuiuscumque facultatis singulis diebus et horis debitis solliciti et attente intendere teneantur circa suos scholares et eis repetere, ipsosque examinare et ascoltare more solito, sub pena decem solidorum bon. pro vice qualibet, qua in predictis fuerint negligentis, quorum denuntianti tertia pars, Universitati tertia et Rectori reliqua applicetur, facta fide domino Rectori per unum testem cum sacramento denuntiantis. Predictum autem statutum voluerunt esse precisum et per quoscumque, quos dictum statutum tangeret, perpetuo observari, sub penis in statuto contentis. In omni autem capitulo ubi non essent pene inserte, intelligantur esse pene decem librarum bon. cuilibet non observanti, sub eadem pena ipsi domino Rectori, qui predicta executioni non mandaret.

### **Quod quilibet doctor loyce teneatur habere unum repetitorem generalem – Rubrica XXXVII**

[251] Item statuerunt quod quilibet doctor loyce teneatur habere et tenere continue unum Repetitorem generalem, qui saltem audiverit loycam tribus annis ad minus, qui horis debitis repetat omnes et singulas lectiones doctoris eiusdem; et hoc si repetitorem gratis habere poterit, alias ad hoc non teneatur. Et de predictis credatur proprio sacramento ipsius doctoris prestando domino Rectori Universitatis. Repetitor

autem predictus nichil recipiat ab aliquo scholarj pro repetitione generali. Item quod quilibet Magister loyce teneatur examinare de sero omnes lectiones et disputare super unaquaque lectione; nec possit repellere aliquem scolarem de scolis vel alio loco in quo esset pro predictis ipse magister, qui voluerit venire et stare ad dictam examinationem cuiuscumque facultatis existat, nisi finita examinatione predicta, sub pena quadraginta solidorum bon. pro quolibet et qualibet vice. Item quod quilibet magister legens in loyca teneatur legere primo *in tractatibus* primum tractatum *modalium*, secundo secundum *predicabilium*, tertio *predicamentorum*, quarto *silogismorum*, quinto tractatum *locorum*, sexto tractatum *suppositionum*, septimo tractatum *fallaciarum* sancti thome. De arte autem veteri primo legat librum porfirij, exceptis *comunitatibus*, postea librum *predicamentorum*, postea librum *periermineas* totum; de libro *posteriorum* primo legat librum primum, excepto capitulo *de ignorantia*, et legat totum secundum eiusdem. De libro *topycorum* legat primum, secundum, quartum et sextum; de libro *Elenchorum* legat primo a principio librj usque ad partem illam in qua ostendit quomodo decipiamur per unamquamque fallaciam tam in dictione quam extra dictionem, et incipit, ibi: *fallacia autem in his quidem qui secundum equivocationem*. Quo lecto, legatur illud capitulum primi, et *silogismus litigiosus*, ubi determinat de silogismis litigiosis et temptativis usque ad partem illam: *Falsum autem in aliquo*, ubi determinat de cautelis, et illud totum dimittatur usque ad finem primj. Postea legat secundum a principio usque ad illam partem in qua determinat de solutione apparenti, et incipit: *Primum igitur scienti sylogicare dicimus*, tunc dimittatur illud capitulum *de solutione apparentj* et incipiatur illud capitulum *de solutione recta: Quoniam autem recta solutio*, usque ad finem secundi. De libro *priorum* legat primum *priorum* hoc medio, scilicet a principio primj *priorum* usque ad partem illam *Quoniam igitur qui in his figuris*, legendo unam lectionem; deinde procedatur ad illud capitulum: *Quomodo autem ydonei erimus*, et de illo legatur usque ad partem illam: *Maior est, quoniam alie considerationes eorum qui sunt secundum electiones*. Deinde procedat ad illud capitulum: *Quo modo autem reducemus*, et legat unam lectionem. Deinde procedat ad ultimum capitulum primj, quod incipit: *differunt in construendo*, usque ad finem primj et principium secundi. De secundo libro legat unam lectionem de uno quoque capitulo septem specierum. Similiter *ex ypotesi*, postea incipiat ibi: *In principio autem petere*, et legat tres lectiones *de tribus peccatis contingentibus*, circa species silogismorum unam lectionem de uno capitulo: *In principio autem secundo de illo, non propter hoc autem*. Tertio accedit autem: *quandoque in positione terminorum*. Postea incipiat ibi: *quam non solum dialectici*, ubi docet reducere entimema, et exemplum: *ad sancti*, licet usque ad finem secundi. Item statuerunt quod debeant fieri puncta, videlicet quod fiant [252] novem puncta in tractatibus, pro prima lectione, novem puncta *in arte veteri* et in libro *topycorum* et *elenchorum* pro secunda lectione. Item novem puncta in libro *posteriorum* et *priorum* pro tertia lectione. Et quod illa puncta fiant per alterum magistrorum legentium in loyca. Et quod doctores legentes in loyca tenentur servare illa puncta, non preveniendo vel pretermittendo in aliquo puncto, pena pro quolibet puncto non observato, tam in prima quam in secunda et tertia lectione, viginti solidorum bon. Et quilibet possit accusare et denunciare, et habeat tertiam partem condempnationis, et in credentia teneatur. Item statuerunt quod si esset aliquis doctor vel repetitor, qui vellet legere extraordinarie illos libros loyce tam in prima parte *tractatum* quam *arte veteri* et *topycorum* et *elenchorum*, et *priorum* et *posteriorum*, qui non leguntur ordinarie, pro tota illa lectura, si fuerit doctor, possit recipere et habere a quolibet scolari, quj eum audiverit, solidos quindecim. Si vero fuerit repetitor solidos decem vel minus, secundum quod convenerit vel pactum fecerit cum scholaribus, vel secundum qualitatem et quantitatem lecture dictorum librorum. Et hoc locum habeat cum lector predixerit aut predici fecerit in scolis publice in principio sue lecture quod intendit quod sibi solvatur ab auditoribus suis; quod si non fecerit, nullus teneatur ad solutionem alicuius quantitatis pecunie pro dicta lectura predicto lectori.

## **De salario volentium legere aliquos libros extraordinarie, et de ordine servando in lectura dictorum librorum – Rubrica XXXVIII**

Quia dignus est mercenarius mercede sua, statuerunt quod doctores legentes in phylosophya, sive infrascriptos libros, secundum modum infrascriptum solutionem recipiant a scolariis hoc modo, scilicet viginti quinque solidos bon. pro libro *methaphysice*, pro libro *physicorum* vigintiquinque solidos, pro libro *de anima* quindecim solidos, pro libro *de generatione* decem solidos, pro libro *de celo* quindecim solidos, pro libro *metaurorum* quindecim solidos, et pro quolibet alio librorum parvorum quinque solidos, excepto libro *de sensu et sensato*, et *de sompno et vigilia*, de quibus possit percipere et habere octo solidos bon. pro lectura cuiuslibet. Pro lectura vero totius libri *de animalibus*, quadraginta solidos bon. Si vero legerit solum librum *de generatione animalium* solidos viginti; si vero *de partibus animalium* solidos quindecim, si vero *de historijs* solidos decem, si vero aliquis legerit librum *ethicorum* solidos viginti, si vero *politicorum* solidos viginti, si vero *Rethoricorum* solidos vigintj, si vero *yconomicorum* quinque. Si vero fuerit scolaris vel repetitor, qui predictos libros vel aliquem eorum legerit, pro suo salario et colecta a suis auditoribus medietatem dictorum salariorum pro lectura dictorum librorum possit percipere et habere. Insuper quod quilibet scolaris vel repetitor, qui legerit librum *posteriorum*, decem solidos possit percipere et habere pro suo salario et colecta. Qui vero legerit librum *priorum*, possit recipere decem solidos bon., qui vero legerit librum *Elencorum* solidos decem, qui vero legerit librum *sex principiorum* solidos quinque. Item quod quilibet legens predicta seu aliquid predictorum, teneatur super unaquaque lectione movere unam questionem vel motum determinare. Et sic successive dictam questionem determinare, sub pena decem solidorum pro qualibet vice. Possint autem doctores et lectores prefati congrue et consueto tempore suam collectam facere, et pro predictis supradicta salaria exigere ac habere et recipere. Et ne in predictis vel aliquo predictorum adhibeatur dolus et fraus, statuerunt quod quilibet, [253] tam doctor quam scolaris, ac etiam Repetitor, volens predicta legere vel aliquid predictorum, teneatur et debeat deponere penes depositarium generalem Universitatis predictae pignus centum solidorum antequam legere incipiat, ac etiam iurare teneatur domino Rectorj complere et perficere dictos libros quos proposuerit legere; quod si non compleverit, teneatur ad restitutionem totius eius quod perceperit ab auditoribus suis, nichilo pro rata temporis retento seu habito, sub pena privationis; a qua privatione non possit restituj nisi fuerit in concordia cum predictis, et nomine pene solvat Universitati nostre viginti solidos. Item quod nullus doctor possit repellere aliquos scolares, seu aliquem scolarem, de scolis suis lectiones suas audire volentem, si volens audire solvere voluerit salarium dicto legenti, secundum modum predictum, sub pena cuiuslibet doctori librarum quinque bon. Et ut veritas appareat in aperto, teneatur et debeat quilibet scolaris seu repetitor, volens predicta seu aliquid predictorum legere, predici facere per scolas qualiter intendit legere talem librum, et etiam salarium habere ab auditoribus, vel in principio sui principij publice denuntiet quod de cetero intendit procedere in dicto libro et intendit salarium ab unoquoque audiente percipere; quod si non fecerit, nullum salarium possit percipere vel habere. Et ultra supradicta salaria taxata, ut supra, aliquis scolaris aut quivis alius audiens ad aliquid solvendum cogi seu compelli non possit nec valeat quoquo modo.

## **De salario doctorum legentium in medicina – Rubrica XXXIX**

Statuimus quod omnes doctores legentes in scientia medicine solutionem recipiant a scolariis hoc modo, videlicet a quolibet scolari tam pro salario lecture quam etiam pro colecta bancharum in summa solidorum viginti bon., salvo quod, si fuerit scolaris in bancho Rectoris vel in bancis anterioribus, teneatur solvere unum florenum, ut supra dictum est. Quam collectam facere possint quoadcumque

post festum sancti Andree, semel tantum. Et quandocumque solverit uni magistro, ab alio magistro legenti eadem hora easdem lectiones compelli non possit. Verumtamen liceat cuilibet magistro quandocumque ante annum illum, in quo fuerit in scolis eius et, non ultra, non solventes compellere ad solvendum. Et si aliquis magister ante dictum tempus fecerit aliquam collectam, condempnetur per Rectorem in centum solidis bon.

#### **De repetitoribus volentibus repetere in medicina – Rubrica XXXX**

Providerunt quod quilibet qui de cetero in scientia medicine repetere voluerit scholaribus, debeat studuisse Bononie vel alibi, ubi studium fuerit generale, saltem tribus annis, nisi fuerit licentiatus in artibus, quo casu sufficiat eum studuisse duobus annis quo ad hoc ut repetere possit. Et quod quilibet volens repetere teneatur satisfacere ydonee, vel pignora manutentia deponere ipsi domino Rectori de centum solidis bon., de observando statuta Universitatis et parendo Rectorj; pena cuilibet contrafacienti centum solidorum bon. Et teneatur etiam repetere lectiones, scilicet de mane et in nonis usque ad pascha, et examinare de sero, sub pena duorum solidorum bon. pro qualibet lectione obmissa vel non examinata, et habere debeat a quolibet scolari pro suo salario quadraginta solidos bon. et non plus.

#### **Qua hora debeant legere doctores – Rubrica XLI**

Statuerunt quod magistri seu doctores de mane legentes tam in scientia medicine quam in aliqua liberalium artium, incipiant legere de mane statim post pulsationem [254] misse sancti Petri, et possint legere usque ad tertiam sancti Petri pulsatam, qua pulsata, incontinenti exire teneantur, sub pena quadraginta solidorum bon. cuilibet doctori contrafacientj, et tantundem domino Rectori non exigenti, si predicta ad eius notitiam pervenerint et non exegerit. Legentes vero in nonis incipiant similiter immediate pulsato ad nonam sancti Petri. Omnes autem tam magistri quam doctores quacumque hora legentes debeant puncta taxata servare, non preveniendo vel pretermittendo terminum taxatum, pena viginti solidorum bon., pro quolibet eorum et quolibet puncto non observato tam in prima lectione quam in secunda. Item statuerunt quod nullus magister aut doctor, cuiuscumque facultatis existat, loco suj possit alium facere legere, nisi contingat eum exire de civitate Bononie pro cura alicuius infirmi ad quam esset vocatus, vel ratione sue infirmitatis, vel magna existente, ut puta in sponsalitijs parentum aut in morte ipsorum; tunc et in eo casu prenotificet Rectori, qui pro tempore fuerit, et illo casu possit admitti, aliter non, pena eidem pro qualibet lectione obmissa, seu per se ipsum non lecta, decem solidorum bon., et eandem penam patiatur qui pro eo legerit. Rector autem Universitatis predictae, qui pro tempore fuerit, teneatur quolibet anno in principio studij facere fierj puncta pro lectura practice et phylosophye doctoribus legentibus et salariatis. Et quod unus doctor legens de mane faciat unum punctum, et unus alter predictorum legens de mane faciat alium punctum, et eodem modo fiant puncta in nonis. Doctor vero legens practicam, faciat puncta in praticam, et similiter legens phylosophyam, in phylosophya; et quilibet dictorum doctorum faciat novem puncta ut moris est.

#### **Quod nullus possit legere Bononie ordinarie nisi sit conventuatus – Rubrica XLII**

Item pro honore studij ac studentium Civitatis Bononie statuerunt quod nullus possit legere in Civitate Bononie in aliqua scientia ordinarie, nisi fuerit conventuatus, sub pena decem librarum bon. Et eandem

penam patiat quilibet scholaris, qui sub eo intraverit, salvo quod legentes in gramatica vel Cyurgia non teneantur ad predicta, nisi esset pro utilitate Universitatis scholarium; tunc sibi exhibeatur terminus duorum vel trium mensium, si fuerit obtentum per maiorem partem dicte Universitatis.

### **De pignoribus dandis per doctores in principio studij – Rubrica XLIII**

Idem statuerunt quod quilibet magister sive doctor legere volens tam in scientia medicine quam artium, in principio studij, infra octo dies, quolibet anno dare, tradere et designare |teneatur| domino Rectori, qui pro tempore fuerit, vel bidellis universitatis, pignora valoris et extimationis decem librarum bon. ad minus, de obediendo domino Rectori et ipsi Universitatj et de servando statuta facta et fienda, et de questionibus disputandis et determinandis et ad stationem ponendis, et alijs omnibus observandis et adimplendis, que continentur in dictis statutis factis et fiendis. Rector autem seu bidellus, vel bidelli, cui seu quibus data et designata fuerint dicta pignora, infra tertiam diem postquam fuerint designata, ipsa tradere et designare teneantur depositario Universitatis predicte. Qui depositarius ea recipere teneatur vice et nomine ipsius Universitatis et ea custodire et salvare usque ad finem studij. In fine studij predicti Rector, qui pro tempore fuerit, teneatur inquirere modis omnibus quibus poterit, etiam statutorum ordine non attento [255] contra dictos doctores et quemlibet eorum, si in aliquo contrafecissent, seu aliquid facere obmisissent de his que eis incumbebant; et si quem invenerit contrafecisse aut predicta non servasse, punire et condempnare ipsum possit et debeat secundum formam statutorum universitatis predicte, ac penas, quas incurrisset, exigere. Et non possint nec valeant dicta pignora restituere, nisi dictis condempnationibus et penis primo solutis. Dictis autem condempnationibus et penis solutis, possint dicta pignora ad voluntatem ipsorum restituere. Et si aliquis magistrorum seu doctorum pignora antedicta dare neglexerit et designare, privetur omni honore et commodo universitatis et penam ipso facto incidat decem librarum bon.; a qua privatione restituere non possit, nisi dicta pena soluta, nec ea soluta, nisi de voluntate Rectoris et maioris partis Universitatis. Nec possit talis, qui sic se privari permiserit, eligi ad aliquod salarium dicte Universitatis. Et si electus fuerit, ex nunc talem electionem fore nullam declaraverunt, et electo ex ea nullum ius acquiratur. Que quidem omnia et singula teneatur Rector presens et qui pro tempore fuerit, observare et observari facere, sub pena decem librarum bon., eidem per syndicos in fine sui officij auferenda. Salvo sempre statuto quod loquitur de pignoribus dandis per doctores qui ad salarium eliguntur.

### **De forma et modo iuramenti doctorum – Rubrica XLIV**

Item statuerunt et firmaverunt quod omnes et singuli doctores medicine, philosophye, loyce, gramatice seu aliarum artium, legentes aut legere intendentes de mane aut in nonis vel alia quacunque hora, teneantur et debeant jurare domino Rectori, qui pro tempore fuerit, servare omnia et singula presentia statuta et alia fienda per Universitatem, et obedire Rectori in licitis et honestis; quod sacramentum teneatur quilibet Rector procurare prestari debere et quod prestetur effectualiter per doctores predictos infra octo dies ab introitu sui officij, sub pena centum solidorum bon. et tantundem doctori non juranti; quam penam solvere teneatur doctor quilibet, qui eam inciderit, infra octo dies postquam eam inciderit. Et si non solverit ad dictum terminum, privetur immediate, et ipso |iure| intelligatur privatus; a qua privatione non possit restituere, nisi solverit dictam penam, nec possit eligi ad aliquod salarium Communis

Bononie per ipsam Universitatem et scolares usque ad duos annos tunc proxime secuturos. Et si eligeretur, ipso iure electio sit nulla.

### **De juramento examinandorum tam in medicina quam in artibus – Rubrica XLV**

Item statuerunt quod si aliquis scholaris voluerit promoveri in medicina seu aliqua artium, primo Rectori suo et Consiliarijs cuius est Nationis, per doctorem, sub quo promoveri debuerit, se faciat presentari. Et dominus Rector teneatur requirere consiliarios predictos ut intersint dicte presentationi seu promotioni, si voluerit, alias etiam in eorum absentia fieri possit talis presentatio. Qui presentandus, dicto Rectori antequam Archidiacono vel eius Vicario presentetur per dictum doctorem, |et iuret| quod ipse legitimo tempore audivit et studuit, et alijs legit scilicet aliquem tractatum vel librum et publice respondit. Tempus autem legitimum est quod studuerit quattuor annis hic vel alibi ubi fuit. studium generale, salvo quod, si voluerit promoveri in medicina, si fuerit instructus in primitivis, quod sufficiat eum audivisse tribus annis ad minus; et predicto prestito [256] iuramento, faciat se per doctorem suum Archidiacono vel eius Vicario presentari. Et si quis se dicto Archidiacono vel eius vicario fecerit presentari vel se presentaverit non prestito iuramento predicto, eius examinatio per quattuor menses differatur sub eo doctore qui eum presentaverit, et sub eo doctore nullus eo anno examinetur vel examinari possit. Insuper iuret ipso domino Rectori quod doctori, vel scolari, vel alicui alteri nichil dedit vel promisit, dabit, vel promittet intuitu, ratione aut pretexto seu promotionis vel laboris, exceptis personis illis quibus statuta dari permittunt et iubent; ita tamen quod forma[m] statutorum nostrorum etiam in his personis non excedat. Et si aliquis hoc sacramentum prestare noluerit, nullus eius promotioni intersit.

### **De sacramento publicandorum tam in medicina quam in artibus – Rubrica XLVI**

Item statuerunt quod quilibet promovendus tam in medicina quam aliqua liberalium artium iuret domino Rectori nunquam contra Universitatem predictam verbo vel facto patrocinium, auxilium vel consilium prestatum. Et, si contingat eum remanere Bononie, quod obediet domino Rectori predicto, et qui pro tempore fuerit, in licitis et honestis, et servabit statuta dicte Universitatis facta et fienda et per ipsam universitatem facta et approbata. Item ad maiorem [cautelam] providerunt quod notarius Universitatis, vel eius substitutus, teneatur et debeat interesse cuicumque publice ubicunque facta fuerit Bononie, et scribere iuramentum quod fiet per promovendum seu publicandum. Et de dicto iuramento facere publicum instrumentum et ipsum registrare in libro actorum ipsius notarii.

### **De pena doctorum non obedientium rectori – Rubrica XLVII**

Item cum hoc sit quod multi sunt doctores qui obedire tenentur domino Rectori in licitis et honestis et servare statuta Universitatis, qui, propter eorum arrogantiam, sunt inobedientes nec servant statuta Universitatis et se privare permittunt, statuerunt quod aliquis de universitate predicta seu eidem obediens vel obedire debens, non audeat vel presumat stare, morare vel habitare in domo cum aliquo ex

dictis doctoribus privatis nec eius auditorium audire, nec repetere aliquibus scholaribus audientibus eius doctrinam, sub pena cuilibet repetitorj decem librarum bon. et cuilibet scholarj quinque librarum bon. Et si aliquis habitare, stare vel morarij reperiretur cum aliquo predictorum qui esset privatus presentialiter, statuerunt quod infra tres menses proxime secuturos a die publicationis presentium statutorum debeant recessisse, sub pena predicta. Ab inobedientibus vero et privandis de cetero habeant et habere possint scolares et Repetitores spatium unius mensis ad recedendum cum effectu. Item quod sub aliquo doctore privato, scholaris aliquis non audeat promoverj publice vel private, sub pena vigintiquinque librarum bon. quam si solvere contempserit, infra decem dies privetur. A qua privatione non possit restituj, nisi dicta pena soluta. Et nichilominus nullus doctor, Rector, scholaris vel bidellus aut aliquis de dicta Universitate, seu ipsi Universitati suppositus, vel qui gaudeat beneficio aliquo dicte Universitatis, audeat dicte publice vel private interesse, sub pena decem librarum bon. cuilibet doctorj, et cuilibet alio quinque librarum bon., quem predicta tangerent. Item si contingat aliquem scolarem qui salarium solvisset doctori, propter privationem doctoris recedere ab illo doctore, quod talis scholaris ad solutionem alicuius [257] salarij alicuj magistro, ad quem iverit, pro dicto anno non teneatur. Et nichilominus Rector, qui pro tempore fuerit, una cum consiliarijs teneatur favere tali scholarj, qui sic solverit magistro privato, in palatio et ubicumque opus fuerit ad compellendum dictum talem doctorem privatum ad restitutionem eius quod perceperit a dicto scolari qui ab eo recesserit, vel saltem ad restitutionem pro rata temporis, sub [pena] Rectori centum solidorum bon., et cuilibet Consiliario quadraginta solidorum bon., si negligens fuerit in predictis.

#### **Quod rector teneatur facere quod doctores grammaticae non sint in collegio doctorum medicinae – Rubrica XLVIII**

Item cum turpe et non consonum sit quod doctores grammaticae sint in Collegio medicorum et veniant ad examinandum promovendos in medicina, statuerunt quod dominus Rector una cum sapiente et syndico Universitatis et Consiliarijs et doctoribus legentibus debeant ire ad dominum Civitatis vel ad illum ad quem spectat hoc officium, et supplicare quod fiat specialis proviso quod nullus non doctoratus in medicina possit interesse examini alicujus promovendi in medicina, nec dare voces alicuj scrutinio alicuius promovendi in medicina. Et etiam quod nullus non conventuatus in scientia in qua aliquis vult promoverj, possit esse de Collegio doctorum examinantium in illa scientia, cum nullus possit esse verus iudex eorum que non [no]vit, sub pena centum solidorum bon. domino Rectori, si non jverit infra mensem post publicationem statutorum ad predicta procurandum. Quod si secus fuerit, ex nunc statuerunt quod nullus scholaris promovendus audeat solvere alicuj magistro aliquam quantitatem pecunie pro examjne publico vel privato, qui sit de aliquo collegio, contra formam predictam sub dicta pena.

#### **Quod quilibet doctor teneatur sociare scolarem in sua publica – Rubrica XLIX**

Item statuerunt pro honore scholaris conventuandi quod quilibet doctor Collegij in medicina vel artibus teneatur sociare scolarem conventuandum in eundo et redeundo ad Sanctum Petrum, sub pena quinque solidorum bon. pro quolibet et qualibet vice, nisi iusta causa subesset, que sacramento probetur. Et quilibet possit accusare et denuntiare et in c[redentia] teneatur; idem intelligatur in quolibet et de quolibet scolari studenti in me[dici]na vel artibus.

## De modo et forma electionis doctorum ad salaria electorum – Rubrica L

Item providerunt, ordinaverunt et firmaverunt quod dominus Rector presens, et qui pro tempore fuerit, precise teneatur et debeat quolibet anno de mense Madij Universitatem facere congregari infra tres dies, et in dicta Universitate eligi facere quendam doctorem in pratica, videlicet unum solum quendam doctorem in phylosophya et quendam in astrologia, videlicet unum solum, et quendam in loycha, unum solum, et quendam in rethorica scilicet unum solum, ad salaria Communis Bononie consueta, ita tamen quod nullus possit eligi ad aliquod salarium in aliqua dictarum scientiarum, nisi sit conventuatus aut conventuetur infra quatuor menses a die sue electionis, et nisi sit persona qui iuraverit vel [258] iuret obedire Rectorj et mandatis ipsius in licitis et honestis et servare statuta dicte Universitatis facta et fienda, antequam ad dictam electionem acceptandam admittatur. In quibus electionibus fiendis serventur disposita et statuta in |sequenti| statuto, posito sub Rubrica *de hjs qui prohibentur voces dare jn universitate et ad scrupitinium admittj*, quibus non observatis, nullum ex tali electione tali electo jus acquiratur. Et quod quilibet petens eligi ad salaria predicta seu aliquod eorum, audito precepto Rectoris, teneatur dare et designare domino Rectori, qui pro tempore fuerit, inde ad tres dies ante electionem de eis fiendam, pignora valoris et extimationis viginti quinque librarum bon., quod ipsi servabunt omnia statuta et reformationes ipsius Universitatis, et maxime que eos tangunt, et continue legent usque ad finem studij et observabunt puncta et ordinationes librorum facta et fienda. Et generaliter omnia observabunt atque facient ad que tenentur ex forma quorumcumque statutorum ipsius Universitatis, sub penis in ipsis statutis et quolibet eorum contentis et ultra, arbitrio Rectoris, qui pro tempore fuerit, et quod parebunt mandatis domini Rectorjs in quibuscumque licitis et honestis. Quod siquis acceptaverit et pignus dederit et postea refutaverit, cadat in penam viginti quinque librarum bon., et aliter pignus non restituatur, nisi dicta pena soluta. Quod siquis dictum pignus non designaverit in dicto termino, non possit eligi vel nominari in aliqua electione; et si nominaretur, electio vel nominatio sit nulla. Et ex dicta electione vel nominatione ej nullum ius acquiretur et pro non electo habeatur, et juraverit ut supra, dicta electio sit capsa et vana. Et Rector, qui pro tempore fuerit, jnfra tertiam diem, dicto termino elapso, Universitatem congregari faciat, et ad electionem alterius procedatur, dicta electione in aliquo non obstante. Dicta autem pignora sic designata teneatur dominus Rector designare, jnfra tertiam diem postquam eidem fuerint designata, Universitatis Depositario, qui ea, vice et nomine Universitatis, debeat custodire et salvare usque ad finem studij annj pro quo electus fuerit ipse doctor. In fine autem ipsius studij teneatur Rector, qui pro tempore fuerit, congregare suos Consiliarios et Sapientem et Syndicum Universitatis ac etiam notarium Universitatis, ita quod alius, seu alij, interesse non debeant cum eis, et una cum eis jnquirere et videre utrum ipsi doctores legerint et puncta servaverint et omnia fecerint ad que tenentur ex forma aliquorum statutorum. Si autem invenerint omnes doctores predictos observasse omnia supradicta, tunc pronuntient ipsos bene observasse omnia supradicta et dictum pignus restituendum esse; et tunc depositarius dictum pignus eidem teneatur restituere sine pena, quod si contrarium reperiretur, tunc pronuntient ipsos cecidisse in penis statutorum, et non possit dictum pignus restitui nisi dictis penis solutis. Que teneatur presens Rector, et qui pro tempore fuerit, observare et facere observari, sub pena decem librarum bon. eidem domino Rectori, ab ipso domino Rectore exigenda in fine sui offitij. Et si contingeret, tempore electionis alicuius doctoris ad salarium fiende, Rectorem non esse in civitate Bononie, electio differatur per totum mensem Maij, et tunc in fine mensis in prima die alterius mensis per Consiliarios fiat electio secundum formam statutj. Statuerunt insuper quod aliquis doctor per se vel alium non possit rogare vel procurare, vel preces porrigere, aut impetrare quod eligatur, sub pena quinque librarum bon. pro quolibet quem

rogaverit et qualibet vice. Et quod aliquis non possit rogare, procurare vel sollicitare quod aliquis eligatur vel non eligatur in doctorem, pena quadraginta solidorum bon. pro qualibet vice et quolibet quem rogaverit. Et quilibet possit et teneatur sub virtute sacramenti denunciare palam vel secrete quemlibet scolarem et doctorem quem [259] sciverit contrafecisse domino Rectori et etiam sub pena quadragi[n]ta solidorum bon., et denuntians habeat tertiam partem condemnationis, et in credentia teneatur, si voluerit, reliquis duabus partibus inter Universitatem et Rectorem dividendis.

### **De pecunia solvenda per doctores electos ad salaria – Rubrica LI**

Item cum Universitas predicta multa substineat gravamina occasione electionum fiendarum de doctoribus eligendis ad salaria Communis Bononie, et ut dicta Universitas facilius expensas possit supportare ac substinere, statuerunt quod quilibet doctor de cetero eligendus ad salarium Communis Bononie per ipsam Universitatem, vel aliter ad scolarium utilitatem, teneatur solvere unum grossum, pro qualibet libra recipienda a Communi Bononie, Massario dicte Universitatis qui pro tempore idoneus foret, recipienti nomine Universitatis, et pro ipsa Universitate convertendas in necessarijs expensis Universitatis predictae; ut si erit electus ad salarium in pratica, antequam admittatur ad dictam electionem acceptandam, solvat quinque libras bon., et tantumdem quilibet electus ad salarium in phylosophia. Si vero eligeretur in astrologia, [in loicha] et rethorica, solidos quinquaginta bon. |pro quolibet|; et si aliquis electus neglexerit predicta, non admittatur ad acceptandum dictam electionem, et notarius Universitatis aliquam scripturam celebratam in publicam non audeat redigere formam, et in eum casum electio de eo facta, sit nulla ipso iure, et incontinenti infra octo dies ad electionem alterius procedatur, sub pena decem librarum bon. Rectori qui pro tempore fuerit.

### **De hora qua debent legere doctores electi ad salaria - Rubrica LII**

Item quia inordinatio est causa confusionis, statuerunt quod quilibet electus vel de cetero eligendus ad salaria Communis Bononie legat infrascriptis horis, videlicet electus vel eligendus ad lecturam phylosophie legat omni die non festivo hora vesperorum decretorum, et electus vel eligendus ad lecturam practice, legat hora vesperarum communium, et quod electus ad astrologiam legat a principio studij usque ad carnisprivium omni die festivo de sero, hora vesperarum parvarum; post carnisprivium vero legat omni die festivo de mane. Item statuerunt quod nullus possit concurrere cum doctore legente Astrologiam, nec in legendo nec in disputando ordinarie, nisi legeret in eadem scientia easdem lectiones aut alias, sub pena quadraginta solidorum cuilibet contrafacientj pro qualibet vice. Item quod, cum alijs doctoribus salariatis et legentibus quilibet, qui secundum formam statutorum legere potest, possit concurrere in eadem scientia legendo easdem lectiones.

### **Quod nullus electus ad salaria, tempore sue electionis possit dare confectiones aut facere convivium aliquod, nec facere coreizari - Rubrica LIII**

Item ad evitandum rixas que in Universitate solent accidere, statuerunt quod nullus doctor vel scholaris, vel quivis alius electus ad salarium aliquod Communis Bononie, [260] audeat vel presumat facere aliquod convivium die electionis vel post ejus electionem per octo dies a die sue electionis; nec audeat vel presumat facere coreizarj de die vel de nocte infra tempus predictum. Et quod nullus doctor vel

scolaris procurans eligi ad salarium aliquod, audeat ire ad saligatam fratrum Minorum, nec ad ecclesiam dictorum fratrum die qua fieri debuerit electio, occasione praticandi scolares. Et quod nullus dictorum doctorum seu scolarium procurantium eligi, possit intrare Universitatem causa aliquid proponendi vel arengandi pro eorum electionibus, pena cuilibet doctori vel scolari pro quolibet et qualibet vice et in quolibet dictorum casuum, decem librarum bon. Et si ex voluntate vel facere predicta, tunc et eo casu statutum predictum non habeat locum.

### **De questionibus disputandis generaliter per doctores - Rubrica LIV**

Item pro utilitate et exercitatione scolarium et studentium statuerunt quod disputari debeat et desputationes fieri debeant per doctores et magistros modo et ordine infrascripto, videlicet quod juniores magistri seu doctores actu legentes primo debeant per ordinem disputare procedendo, videlicet semel in qualibet septimana de mane in die festivo, si fuerit, vel die iovis, si festum non fuerit; et sequenti septimana eadem hora teneatur alius magister seu doctor disputare aliam questionem. Hora vero non teneatur magister qui ebdomada precedenti disputavit, questionem disputatam determinare, et infra quindecim dies sequentes ad stationem generalium bidellorum ponere et dimittere, ita quod eis restitui non possit, in bonis cartis pecudinis vel edinis non abrasis, que omnes sint ad unum modum et unam mensuram, scilicet ad mensuram modi maioris, ut de ipsis possit semper copia haberi. Ita tamen ut quilibet questio sit per se in uno folio. Nulli autem alij possint, doctores seu magistri predicti, ipsarum questionum dare copiam antequam dictis bidellis ad stationem posuerint et dimiserint; et sic ordinatim et successive procedatur usque ad Carnisprivium, pena in quolibet capitulo cuilibet magistrorum seu doctorum, viginti solidorum bon. exigenda per Rectorem infra tertiam diem, pena eidem Rectori viginti solidorum bon., eidem per syndicos auferenda, nisi festum illud esset sollempne. Ordo autem inter magistros et doctores legentes et disputare debentes talis observetur, scilicet quod qui primo disputaverit in theoricha, postea teneatur disputare in praticha. Et quod omnes magistri et doctores personaliter dictis desputationibus debeant interesse et stare usque ad finem, et arguere ad questionem propositam sub dicta pena. Bidellorum etiam alter debeat interesse dictis desputationibus et stare a principio usque ad finem. Et de omnibus et singulis questionibus [de]terminatis et ad stationem positis ipsi bidelli, recepto primo pignore idoneo, teneantur omnibus volentibus et petentibus copiam facere, sub pena viginti solidorum bon. pro qualibet vice, exigenda ut supra. Et habeant ac habere et percipere possint et debeant a quolibet de qualibet questione, quam prestaverint, pro eorum labore duos denarios parvos. Teneatur insuper quilibet Rector, qui pro [261] tempore fuerit, questiones disputatas suo tempore facere intitulari in quadam scriptura facta et scripta in carta pecudina de bona litera, ponendo in principio: *Infrascripte sunt questiones disputate et terminate bononie in generali studio, tempore Rectoratus talis Rectoris.* Quam scripturam teneatur designare et dimittere bidellis generalibus et ad eorum stationem ponere custodiendam infra octo dies postquam facta fuerit nova electio Rectoris et Syndicorum. Qui novus Rector et Syndici teneantur sub virtute juramenti, videre et examinare et sibi ostendi facere [a] bidellis omnes et singulas questiones in dicta scriptura descriptas, et si aliquam deficientem invenerint, que designata in scriptura predicta non fuerit per Rectorem predictum, pro qualibet obmissa in viginti solidos bon. statim condempnentur, et pro qualibet designata seu registrata in dicta scriptura, que deposita fuisset et dimissa, non reperta penes dictos bidellos in statione predicta, ab eisdem bidellis infra octo dies exigere, pene nomine, solidos decem bon., teneantur et debeant. Si vero invenerint aliquam deficere, eo quod non fuerint designate dictis bidellis per doctores, ut dictum est, et per dictum antiquum Rectorem a dictis doctoribus non fuerit exacta pena, tunc Rector novus et dicti Syndici infra octo dies dictam penam a dictis doctoribus et tantumdem ab antiquo Rectore

effectualiter exigere teneantur, cogendo nichilominus dictos doctores ad depositionem, traditionem et relaxationem dictarum questionum, ut dictum est, infra octo dies. Quas quidem scripturas per Rectorem confectas de titulis questionum, elapso dicto termino quindecim dierum, predicti dominus Rector et Sindici teneantur et debeant designare dicte Universitatis depositario, qui ea scribere teneatur et debeat, sub virtute sacramentj et pena viginti solidorum bon., in quodam libro ad hoc per eum deputato, et ipsam scripturam tituli questionum conservare, et penes se retinere debeat ad hoc ut semper de ipsis copia habeatur, et ad hoc ut possit videri an dicti bidelli habeant dictas questiones in petijs descriptas, ut dictum est. Et ad hoc ut non possit deceptio fieri, scribatur in fine cuiuslibet questionis: *questio est Universitatis*. Item statuerunt quod nullus Rector, qui pro tempore fuerit, audeat dare alicuj doctori, cuiuscumque facultatis existat, diem determinatum aut sedem doctoris ordinarie disputantis sive generaliter disputantis, nisi dictus doctor dederit pignus, aut ydonee satisdederit domino Rectori quod questionem quam disputabit determinabit et ipsam in scriptis ponet ad stationem secundum formam statutorum de hoc loquentium, et quod erit obediens domino Rectori in licitis et honestis, et servabit statuta Universitatis, prout doctores legentes ordinarie faciunt, sub pena domino Rectori, qui pro tempore fuerit, quadraginta solidorum bon. [q]ui dederit talem diem. Et quod nullus doctor vel scolaris teneatur nec debeat ire ad dictam disputationem, ordine dictorum legentium completo et finito quo ad primam questionem in theorica. Item statuerunt quod palestre fiant a festo Carnisprivij usque ad festum Olivarum.

#### **De modo arguendi ad quamlibet questionem - Rubrica LV**

Item statuerunt quod in singulis disputationibus primo arguant quatuor scolares et etiam Rector, si voluerit, ita quod de qualibet natione arguat unus scolaris in casu ubi fuerint de natione volentes arguere, alias nactio, que est in defectu, suppleat[ur] alia, arbitrio Rectoris qui fuerit pro tempore, salvo quod in casu in quo nactio ultramontanorum deficeret, quod tunc suppleat pro illa natione altera sequens, arbitrio domini Rectoris. Et quod scolaris [arguens] ad unam questionem, in proxima sequentj questione arguere non possit, si fuerint alij quatuor volentes arguere, salvo quod nullus scolaris possit arguere ad aliquam [262] questionem nisi ille qui arguit audiverit uno anno, hic vel alibi, ad minus in illa scientia in qua arguit. Et quod nullus scolaris possit respondere ad aliquam questionem generalem, nec ad aliquod *quodlibet* sub aliquo doctore legente, nisi talis respondens audiverit in dicta scientia, in qua respondet, hic vel alibi ad minus duobus annis. Et salvo quod in casu in quo non esset nisi unus scolaris de natione aliqua, et ille velit arguere, quod tunc possit arguere. Item quod Bidellus, qui presens est, semper habeat cedula in qua habeat qui alias arguerunt, et clamet: *talis arguat de tali natione, et talis non potest arguere*. Et postquam arguerunt predicti quatuor scolares, possit arguere unus alter scolaris de lombardia. Statuentes insuper quod Rector aliquis non possit dare alicui locum arguendi, antequam respondens responderit ad quesita, sub pena ipsi Rectori viginti solidorum bon. pro quolibet et qualibet vice. Nec possit concedere ipse doctor alicuj questionem suam generalem aut diem disputationis, nisi per unum mensem, nec dividere duas rationes arguendas in duos scolares, sub pena viginti solidorum bon. pro qualibet vice qua contrafecerint. Item quod nullus scolaris possit respondere ultra quam ad duas questiones generales et unum *quodlibet* in anno, pena cuilibet doctori, qui dederit tali scolari aliquam questionem generalem, viginti solidorum bon. pro qualibet vice et cuilibet scolari decem. Et quod post scolares arguentes arguant doctores actu legentes secundum formam statutorum, adeo quod junior doctor in lectura primo arguant, et sic successive procedant, sub pena quadraginta solidorum bon. pro qualibet vice. Item quod in singulis questionibus quilibet opponens possit proponere duas rationes et eas duabus alijs confirmare et non ultra. Et quod tempore disputationum

fiendarum doctores et scolares esse et stare debeant in scolis pacifice et quiete, et non allegare vel opponere pro parte opponentis vel respondentis, nec etiam contra, pena cuilibet contrafacienti quinque solidorum bon. pro quolibet eorum et qualibet vice. Salvo quod predicta non intelligantur habere locum in doctore disputante. Item quod reliquantur tres bance in quibuscunque scolis in quibus contigerit disputari pro doctoribus; in quibus non audeant nec possint sedere aliqui scolares, nisi respondens, si voluerit, pena cuilibet scolari qui se posuerit in dictis bancis quinque solidorum bon., nisi immediate dictas banchas exiverit. Et pena bidello doctoris, quando negligens fuerit in predictis, decem solidorum bon. Et ad evidentiam predictorum, notarius Universitatis aut alius loco ipsius precise teneatur hoc statutum legere et publicare semel in medicina seu physica, semel in phylosophya et semel in loyca, semel in gramatica, et semel in astrologia, in scolis in quibus doctores et scolares simul convenerint disputationis causa, pena duorum solidorum bon. ipsi notario; ad cuius statuti observationem teneatur quilibet Rector, qui pro tempore fuerit, pena cuilibet Rectori decem solidorum pro qualibet vice qua negligens fuerit in predictis observandis et observari faciendis.

### **De questionibus de *quolibet* disputandis - Rubrica LVI**

Item statuerunt quod quolibet anno debeat solum bis disputari de *quolibet* per doctores Medicine actu legentes, ordine tamen attento, ut primo disputet antiquior doctor, et postea qui eum sequitur, et sic successive de anno in annum donec numerus omnium doctorum fuerit expletus; quo expleto, reinchoetur de novo, et fiat successive, ut supra: que disputationes fieri debeant in nonis. Et quod dictis disputationibus et qualibet [263] earum debeant interesse sub pena quadraginta solidorum bon., et etiam omnes et singuli doctores medicine legentes quacunque hora, sub pena decem solidorum bon. pro quolibet, nisi iustam causam excusationis habuerint. Et in quolibet ipsorum *quolibet* proponantur decem questiones, seu sex per doctores et quatuor per scolares; et quod arguens possit unam rationem proponere et una alia confirmare ad principalem questionem, hoc addito, quod nullus doctor alicuj scolari suum *quodlibet* ante mensem dare possit. Ad dictum autem *quodlibet* respondere non possit aliquis scolaris qui non audiverit Bononie vel alibi in scientia Medicine tribus annis ad minus, nisi sit licentiatus in artibus, quo casu sufficiat eum audivisse duobus annis medicinam. Doctor autem de mane legens, suum *quodlibet* facere teneatur ante festum nativitatis domini. Legens autem in nonis, ordine servato de doctore legente de mane, teneatur disputare in vigilia sancti Silvestri, pena cuilibet doctori obmittenti, secundum ordinem supradictum, suam disputationem de *quolibet* facere, sub pena centum solidorum bon., nisi iusta et rationabilis causa eum excusaret. Que questiones debeant determinari, et in scriptis ad stationem generalium bidellorum poni et dari infra quindecim dies a die determinationis facte, in bonis cartis pecudinis vel edinis ad formam predictam de questionibus, et in uno folio quilibet per se, sub pena in alio statuto comprehensa, quod loquitur de questionibus disputandis, et quod nunquam restituantur doctoribus sed semper remaneant in statione ut de ipsis copia habeatur, sub pena viginti solidorum bon. pro quolibet et qualibet vice.

### **Quod quilibet doctor artium teneatur disputare quolibet anno duas questiones - Rubrica LVII**

Item providerunt et ordinaverunt quod quilibet doctor legens in artibus teneatur et debeat quolibet anno disputare duas questiones, et eas sic disputatas ad stationem ponere de bona littera et in bonis cartis membranibus non abradis ad formam que vocatur modus maior, et quilibet per se in uno folio si cadere poterit, alias in uno quaterno, ita tamen quod quilibet legens loycham disputet duas questiones in

loycha, et etiam de *quolibet* in loycha cum sibi disputare contingerit [u]t infra. Et quilibet legens gramaticam disputet duas questiones in gramatica, et etiam de *quolibet* cum ipsum contingerit, ut infra. Et quilibet legens phylosophyam disputet duas questiones in phylosophya, et etiam de *quolibet* cum ipsum contingerit, ut infra. Et nullus possit respondere ad aliquam questionem generalem in artibus, nisi audiverit duobus annis, vel decem octo mensibus ad minus, in illa scientia in qua respondet. Item quod nullus doctor, occasione alicuius questionis date vel dande alicui scolari, audeat recipere ab aliquo scolari aliquam quantitatem pecunie; vel aliquod aliud directe vel indirecte, sub pena quadraginta solidorum bon. pro qualibet vice, et quilibet possit accusare palam et secrete et habeat tertiam partem condemnationis. Ita tamen quod junior doctor incipiat disputare in alijs questionibus, quam de *quolibet*, et sic successive procedatur usque ad antiquiorem. Hoc addito, quod solum unum *quodlibet* in anno in qualibet dictarum scientiarum fieri possit, ordine tamen inter doctores attento in unaquaque dictarum scientiarum, ut primo antiquior incipiat et postea successive alij subsequantur, ut supra in statuto *de quolibet in medicina fiendo* est statutum, et ad penam in dicto statuto appositam, et dictum *quodlibet* fiat seu in medicina in die sequenti *quodlibet* fiendum in medicina ante nativitatem. Et *quolibet* loyce post nativitatem in die sequenti *quodlibet* medicine, et *quodlibet* grammaticae fiat in die sancti Thome Chanturiensis. Et quod Rector, vel ei substitutus [264] semper debeat interesse ad unumquodque dictorum *quodlibet*, pena viginti solidorum pro vice qualibet. Debeant etiam interesse omnes et singuli doctores illius scientie in qua fieret dictum *quodlibet*, pena viginti solidorum bon. pro quolibet, nisi iusta causa excusaretur. Et omnes questiones sic depositae et consignatae, perpetuo stare et remanere debeant in dicta statione, ut semper de eis copia habeatur; nec eas dictis doctoribus restituere teneantur aut possint, nisi ydoneum pignus darent de restituendo eas. Et idem servetur de omnibus alijs eorum questionibus de *quolibet*. Quod *quolibet* teneantur dare ad stationem infra quindecim dies a die determinationis, et infra octo dies debeant determinare a die disputationis, et teneantur dare pignora et alia facere prout alij doctores legentes in medicina ordinarie faciunt. Et quod omnes doctores legentes in artibus teneantur ire ad disputationes et stare a principio usque ad finem, et arguere quilibet eorum et stare in dictis disputationibus pacifice et quiete. Nec debeant allegare pro parte opponentis vel respondentis nec contra, sub pena viginti solidorum pro quolibet et qualibet vice. Et dominus Rector teneatur de predictis inquirere et delinquentes condemnare, sub pena centum solidorum bon. ipsi domino Rectorj.

### **De salario facientium aliquem sermonem - Rubrica LVIII**

Item statuerunt quod aliquis doc[tor pro] aliquo sermone faciendo non audeat vel presumat accipere, ultra infrascriptum modum, solutionem, videlicet ab aliquo qui publicabitur, sive accipiat librum sive non, solidos viginti bon.

### **Quod doctor practice teneatur legere in diebus sabbatj - Rubrica LIX**

Item providerunt, statuerunt et ordinauerunt quod doctor electus ad salarium practice teneatur legere in diebus sabbatj, nisi fuerit festum sollempne. Et quod eadem die teneatur incipere suas lectiones in qua doctores legentes de mane incipiunt. Et hoc in principio studij; et eas prosequj singulis diebus et horis debitis, quibus intrabitur usque ad finem studij.

## **Quod doctor electus ad salarium in astrologia det iudicia gratis, et etiam teneatur disputare - Rubrica LX**

Item statuerunt, ordinaverunt et firmaverunt quod doctor electus vel eligendus per dictam Universitatem ad salarium ad legendum in astrologia, teneatur iudicia dare gratis scholaribus dicte Universitatis infra unum mensem postquam fuerint postulata, et etiam singulariter iudicium annj in scriptis ponere ad stationem generalium Bidellorum, et etiam teneatur legere secundum puncta, ea servando solum diebus festivis et vacationum, pena pro qualibet vice in quolibet ditorum casuum, viginti solidorum bon. Item quod doctor electus ad salarium astrologie teneatur et debeat quolibet anno disputare duas questiones in astrologia et eas determinare infra octo dies a die dicte disputationis et etiam teneatur disputare de *quolibet* in astrologia semel adminus, et dictum *quodlibet* determinare, ut supra, et dictas questiones et dictum *quodlibet* in scriptis ad stationem ponere et dare de bona littera et in bonis cartis membranis, non abrasis ad formam modi maioris infra quindecim dies post determinationem. Et dicte questiones continue stent in statione, ut de eis copia habeatur.

## **De questionibus disputandis per magistros sive lectores fratrum – Rubrica LXI**

[265] Item cum utile et necessarium sit scholaribus pro ordinatione questionum disputa[n]darum per magistros seu lectores fratrum cuiuscunque ordinis et ut de questionibus per eos disputatis habeatur copia, statuerunt quod quilibet ditorum magistrorum, sive lector, debeat duas questiones disputare quolibet anno ante Pascha Resurrectionis, et etiam debeat disputare de *quolibet*; et dictas questiones determinare, et determinatas ad stationem generalium bidellorum ponere in bonis cartis et de bona littera, que continue stent ad statione ut de ipsis semper copia habeatur; et quod junior magister, sive lector, primo debeat disputare et sic successive, et qui primo disputaverit de mane, teneatur in die qua alter disputat questionem per eum disputatam determinare, et hoc hora none. Et quod in dictis disputationibus debeant interesse bachalarij sive magistri studentium cuiuscunque ordinis cum sufficienti comitiva fratrum. Item quod quilibet doctor actu legens in civitate Bononie, si fuerit conventuatus in phylosophia, teneatur interesse dictis disputationibus, et etiam quilibet, doctor sive non doctor, legens in civitate Bononie phylosophyam ac etiam quilibet tenens cathedram in disputando in phylosophya, et ibi stare a principio usque ad finem, nisi iusta causa subesset, que sacramento valletur. Pena cuilibet doctori sive non doctori legenti et cuicumque tenenti cathedram in disputando decem solidorum bon. pro qualibet vice. Item quod in dictis disputationibus scolares et doctores esse et stare debeant quiete et pacifice, et non allegare vel opponere pro parte opponentis vel respondentis, nec etiam contra, sub pena quinque solidorum pro quolibet et qualibet vice. Item quod quilibet Rector teneatur interesse dictis disputationibus a principio usque ad finem, vel alius loco suj, sub pena viginti solidorum bon. pro qualibet vice. Item quod in dictis disputationibus primo arguant quatuor fratres et quatuor scolares, ita quod primo arguat unus frater, et postea unus scholaris, et sic successive. Et quod illi et quilibet eorum non possint facere nisi unum argumentum, et dictum argumentum uno alio confirmare. Et quod illi octo qui arguunt ad unam, in proxima sequenti questione arguere non possint si fuerint alij volentes arguere, et postea arguant bachalarij; demum quilibet doctor teneatur arguere si voluerit. Item quod in quibuscumque scolis relinquuntur certe banche prime pro doctoribus et bachalarijs, pena cuilibet, qui se posuerit in dictis bancis, duorum solidorum si immediate dictas banchas non evacuaverit. Item quod magistri et bachalarij, cuiuscunque ordinis, cum sufficienti comitiva fratrum teneantur venire ad publicas fiendas tam in medicina quam in artibus. Pene autem imponende dictis magistris sive lectoribus vel bachalarijs sive fratribus, cuiuscunque ordinis,

apponantur per eorum principales et maiores, de quo appareat publicum instrumentum cum sigillo cuiuscumque ordinis de omnibus et singulis suprascriptis capitulis et quolibet predictorum observandis, adeo quod Universitas habeat a quolibet predictorum ordinum unum tale instrumentum cum sigillo ordinis, et quilibet ordo habeat unum instrumentum ab Universitate nostra cum sigillo Universitatis. Quod si facere noluerint et contempnerent, ex nunc istud statutum sit nullum et nullus ad eorum disputationes ire teneatur. Et quod predictis fratribus dentur quatuor dies, ante principium studij Medicine et artium pro eorum principijs, et octo dies pro eorum disputationibus questionum generalium, et quatuor dies pro eorum disputationibus de *quolibet*; et [266] quatuor dies de illis octo qui dantur pro questionibus generalibus dentur eis in primis quatuor ebdomadis quadragesime, dummodo non sint dies sollempnes in quibus dicti fratres nolent disputare. Quj autem sint dies eis dandi hoc remaneat in discretionem Rectoris, qui pro tempore fuerit. Et quod nullus in illis diebus audeat disputare vel legere horis in quibus dicti fratres disputarent vel determinarent, aut eorum principium facerent, aut audeat cum dictis magistris sive lectoribus concurrere, sub pena viginti solidorum bon. pro quolibet et qualibet vice. Et quod omnia et singula supradicta debeant per quoscumque tam Rectores quam doctores et scolares perpetuo et jnviolabiliter observari, si predicti fratres ea que in dicto statuto continentur observare et executionj mandare voluerint, et aliter non.

#### **Quod nullus audeat recomendare aliquem doctorem seu scolarem in scolis, occasione electionem fiendarum – Rubrica LXII**

Item ad evitandum malivolentias que solent evenire doctoribus, statuerunt quod nullus doctor legens scientiam Medicine vel quamlibet aliam facultatem, possit vel audeat recomendare aliquem doctorem seu scolarem in scolis suis in quibus legit aliquibus scolaribus occasione electionum fiendarum, vel aliquid de dictis electionibus scolaribus proponere, sub pena cuilibet doctori aliquem recommendantj, vel aliquod de dictis electionibus proponenti, decem librarum bon.

#### **Quod quilibet doctor electus ab universitate teneatur habere unum bidellum – Rubrica LXIII**

Item statuerunt et ordinauerunt quod quilibet doctor legens ordinarie in scientia Medicine et etiam in artibus, ab Universitate electus, teneatur et debeat habere quendam bidellum particularem per dominum Rectorem et consiliarios approbatum, et teneatur etiam observare puncta eidem taxata per dominos, quibus dominus Rector, qui pro tempore fuerit, duxerit committendum, et omnia et singula facere ad que tenentur alij doctores ordinarie legentes ex forma aliquorum statutorum nostre Universitatis, sub pena centum solidorum bon. pro quolibet contrafacientj et qualibet vice, pena Rectorj non observare facienti predicta centum solidorum bon.

#### **De modo et forma iuramenti quod scolares et alij prestare debent domino rectorj – Rubrica LXIV**

Item statuerunt quod scolaris quilibet et quicumque alius Universitati predicte subiectus teneatur jurare obedire Rectori, qui pro tempore fuerit, in licitis et honestis, et quod adversus presentia statuta aut aliqua in eis contenta, non faciet seu veniet quoquo modo. Et si ipsum eligi contingerit ad aliquod officium dicte Universitatis ipsum nullatenus recusabit, et quod se nullatenus absentabit ne eligatur; et

non procurabit per se vel alium directo vel per obliquum, nec pro se vel alio, ne eligatur vel non eligatur ad aliquod officium, nec preces porriget pro se vel alio, aut supplicabit per se vel alium ut predicta vel aliquod predictorum fiant vel non fiant, vel quod impediatur vel differatur aliqua pene exactio, que secundum statutorum formam fieri posset vel deberet. Et quod veniet ad omnes et singulas convocationes et congregationes fiendas per Rectorem [267] seu de eius mandato iuxta suam possibilitatem, et stabit ibidem donec Rector et alij erunt de propositione expeditj. Et si in dubium in aliquo casu revocaretur, utrum licitum et honestum esset quod preciperetur per dominum Rectorem, debeat viderj cognosci ac declarari per consiliarios; quorum declarationi stetur etiam facto partito inter eos cum fabis albis et nigris per ipsorum Congregatorem si opus fuerit, pro quibus ipse Congregator dictos Consiliarios facere congregari teneatur ad requisitionem tam Rectoris quam scholaris, qui obedire recusaret. Et licet presentia statuta fuerint multociens lecta et publicata etsi ignorantia seu oblivio per alterum eorum allegaretur, quod eius iuramento se valeat excusare, in hoc tamen omnis cesset obiectio. Et quod dominus Rector alicuj non possit remittere seu differre sacramentum predictum ultra quindecim dies a die peremptorie citationis seu proclamationis fiende per scholas nationis de qua scholaris fuerit, quam fieri facere teneatur quilibet Rector, more solito, in virtute prestitij iuramenti et pena centum solidorum bon. [et] cuilibet non jurantj, ut supra, decem solidorum bon. pro qualibet vice; quam si non solverit infra octo dies, elapso tempore sacramentj prestandi, per scholas publice privatus Universitatis commodo nuntietur; a qua privatione restituj non possit nisi dicta pena primo soluta et sacramento prestito ut supra.

#### **De inchoatione studij et festivitibus celebrandis – Rubrica LXV**

Ad utilitatem scholarium bononie studere volentium statuerunt et ordinaverunt quod singulis annis studium debeat inchoari immediate post festum sancti luce, adeo quod super prolongatione principij studij faciendi Rector et Consiliarij nullatenus habeant potestatem, nec super hoc ad petitionem alicuius doctoris vel alterius persone, possit modo aliquo dispensari etiam per Universitatem. Adicientes quod magistri et omnes alij legentes tam ordinarie quam extraordinarie unum festum solum in ebdomada faciant, nisi esset festum sollempne vel alia festa sollempnia fuerint, et non fuerint in die jovis; nec ad preces alicujus contrarium faciat, nisi iusta causa subesset. Item pro festivitate paschatis resurrectionis, festarij incipiat die dominico olivarum, et postea incipiatur die lune leji post octavam diem dominicam paschatis resurrectionis. Item quod unusquisque doctor, incipiendo festare pro festivitibus nativitatis, teneatur legere usque ad vigiliam sancti thome, sub pena cuilibet contrafacientj, si fuerit scholaris, decem solidorum bon., et si fuerit doctor vel Rector quinque librarum bon., et hoc prociendo paleas vel faciendo aliquem actum per quem impediatur doctorem legere. Item quod doctores non debeant legere ordinarie usque ad festum Circumcisionis, et immediate post dictum festum debeant legere ordinarie sub dicta pena. Et quod studium debeant complevisse seu terminasse in fine mensis augusti cuiuslibet annj; hoc addito quod in kalendis mensis Maij cuiuslibet annj festentur sex dies pro potionibus sumendis more solito.

#### **Quod quolibet anno fiat solum unus sermo – Rubrica LXVI**

Item quia ubi multitudo ibi confusio solet assignari, statuerunt quod quolibet anno in principio studij in scientia medicine solum fiat unus sermo et in phylosophya alius in [268] scolis in quibus doctor faciens duxerit faciendum; quibus sermonibus quilibet doctor actu legens seu eo anno legere intendens

interesse debeat, sub pena viginti solidorum bon. pro quolibet et qualibet vice, nisi iusta et rationabili causa esset excusatus. Et ut ordo servetur in talibus doctoribus et etiam paritas, quod primo incipiat sermocinarj antiquior doctor et sic successive procedant quousque devenerint ad juniorem, sub pena cuilibet doctorj ad quem de jure spectaret sermocinarj, si non sermocinaretur, centum solidorum bon. Item quod legens phylosophyam teneatur facere unum sermonem in principio studij hora qua debet legere de mane; et quod quilibet dictorum doctorum debeat infra quindecim dies dare ad stationem de bona littera dictum sermonem et in bonis cartis membranis, non ab rasis, ad formam modi maioris, ut de ipsis copia habeatur. Item quod quilibet doctor qui sermocinatur in Sancto Petro pro publicis, teneatur dare primum sermonem quem faciet in quolibet anno in bonis cartis et de bona littera, et ad formam modi maioris, ad stationem generalium bidellorum, bidellis generalibus pro ipsa Universitate recipientibus, sub pena quinque librarum bon., et hoc per octo dies postquam ipsum fecerit. Et quod Rector teneatur inquirere de predictis, sub pena viginti solidorum pro quolibet sermone. Item quod bidelli non debeant dare predictis doctoribus pecuniam quam percipiunt pro dictis sermonibus, nisi primo dicto sermone posito ad stationem, sub pena dupli dicto bidello. Item quod quicumque doctor fecerit aliquem sermonem de exhibitione libri, benedictione paterna cum subarratione anulj, teneatur dictum sermonem dare ad stationem, modo predicto et sub eadem pena; quod si aliquis doctor contempserit dictos sermones, ut dictum est, nullus scholaris Universitatis vel quivis alius Universitati suppositus audeat vel presumat eo anno sub eo promoverj publice vel private, sub pena decem librarum bon.

#### **De loco ubi debent esse scole, et de scolis reparandis – Rubrica LXVII**

Statuerunt quod aliquis doctor legens in medicina non possit habere seu retinere scolas suas alibi quam in loco et contratis hactenus consuetis. Loca autem et contratas consuetas declaraverunt fore a latere sero platee Communis bononie ex una parte usque ad puteum Thebaldorum ex alia, inter voltas Ramisinorum ex alia et intra ecclesiam Sancti Salvatoris ex alia, nec ultra ipsos terminos possint esse scole alicue in scientia supradicta. Adicientes quod doctores legentes ante inchoationem studij [269] singulis annis faciant scolas repararj et fenestras, scolas de pannis lineis claudj prout melius visum fuerit expedire. Et si non fecerint, penam quadraginta solidorum incurrant. Et bidelli doctorum legentium istud statutum observent, sub pena vigintj solidorum bon. Item statuerunt quod aliquis scholaris qui non audiverit bononie duobus annis in medicina non audeat vel presumat sedere in primis bancis in aliquibus scolis, sub pena quinque librarum bon., salvo quod, si esset prebendata persona aut licentiatus in aliqua artium, quod non teneatur. Item statuerunt quod aliquis non audeat sedere super banchis anterioribus, nisi det de suo proprio in die collecte doctori sub quo intraverit in scolis de mane unum florenum vel ducatum vel denarios equipollentes, ita quod non det librum neque aliquid pro pignore doctori, et sex solidos in anno bidellis generalibus, scilicet tres solidos pro qualibet collecta et quatuor bidellis specialibus, scilicet duos solidos pro qualibet collecta, sub pena quinque solidorum pro qualibet vice qua sederit in dictis bancis. Et hoc habeat locum in doctoribus legentibus de mane. Et quilibet Rector teneatur contra delinquentes procedere sub dicta pena, et quilibet possit accusare et denunciare et habeat tertiam partem condemnationis et in credentia teneatur. Et istud statutum legatur omni anno in principio studij, sub pena centum solidorum ipsi Rectori auferenda.

#### **De electione eorum qui debent denunciare doctores – Rubrica LXVIII**

[270] Item providerunt quod Rector quilibet in principio sui regiminis seu officij teneatur et debeat infra quindecim dies, in virtute prestitij iuramentij et sub pena centum solidorum bon. pro qualibet vice, eligere de quibuslibet scolis Medicine et artium quatuor scolares ydoneos, scilicet de unaquaque natione; quij eligendi, sub pena centum solidorum bon. pro quolibet, quam ipso facto incurrant, teneantur iurare infra tres dies post eorum electionem et postquam fuerint requisitij, denuntiare Rectori seu Sapientij et Syndico Universitatis si contingat suum doctorem aliquam penam incurrere seu non intrare tempore debito, vel non disputando, vel quocunque alio modo; quam penam incurreret ex forma aliquorum statutorum Universitatis. Et dominus Rector teneatur procedere ad denuntiationem predictorum et cuiuslibet eorum, et in secreto tenendi si teneri voluerit, et debitas penas exigere ac procedere contra ipsos doctores, sub pena Rectori centum solidorum bon. in quolibet capitulo et tantundem cuiuslibet doctorum scolarium sic electorum non observantij predicta. Teneantur autem denuntiatores in credentia per dominum Rectorem, sub pena Rectori pro palantij denuntiatores predictos trium librarum bon.

### **Quod quilibet doctor teneatur sociare scolarem conventuandum – Rubrica LXIX**

[271] Item statuerunt pro honore scolaris conventuandi quod quilibet doctor collegij teneatur sociare scolarem conventuandum in eundo et redeundo ad sanctum Petrum, sub pena quinque solidorum bon. pro quolibet et qualibet vice, nisi iusta causa subesset, que sacramento valletur. Et quilibet possit accusare et denuntiare, et in credentia teneatur. Et quod dicitur de doctoribus collegij, idem intelligatur de quolibet doctore legente in medicina vel artibus ac etiam de quolibet scolarj studente in Medicina vel artibus.

### **De scolaribus et alijs non obedientibus ad aliquod officium non admittendis – Rubrica LXX**

Cum de omni iure inobedientia debeat esse inobedientij dampnosa, statuerunt quod aliquis qui in posterum inobediens fuerit Rectori presentij, aut alterij qui pro tempore fuerit, seu de preterito inobediens fuisset, aut penam aliquam vigore statutorum incurreret vel incurrisset, non possit admitti ad aliquod officium Universitatis vel eligij, aut aliquod benefitium Universitatis habere, nisi antequam eligeretur, vel post electionem antequam admittatur effectualiter, solverit Universitatij vel eius depositario penam seu condemnationem quam incurrisset ratione sue contumacie, seu inobedientie; et ultra decem solidos bon., quibus solutis, et eo restituto, si privatus fuisset, ut quilibet alius obediens admittatur. Notarium autem et bidellos universitatis ipse Rector punire possit secundum formam statutorum Universitatis, et non aliter vel alio modo.

### **Quod nullus possit ire ad recipiendum privatam nisi cum decem socijs – Rubrica LXXI**

Item statuerunt quod quando aliquis scolaris ire debuerit ad sanctum Petrum pro privata recipienda, non possit ire nisi cum doctore suo et decem socijs, et cum decem socijs redire, quos decem socios debeat dare in scriptis domino Rectorij antequam vadat ad sanctum Petrum pro dicta privata recipienda, sub pena centum solidorum bon. cuiuslibet examinando, et cuiuslibet alteri scolarj ultra illos decem, qui cum dicto examinando irent vel redirent, quinque solidorum bon. Item statuerunt quod aliquis scolaris examinandus pro eius examine non teneatur solvere nisi pro quindecim doctoribus, solvendo cuiuslibet

sex solidos bon. Et in publica etiam non teneatur solvere nisi pro decem doctoribus, solvendo cuilibet quatuor solidos bon. Et quod nullus doctor existens in privata vel publica audeat sibi dividere pecuniam doctorum non existentium in privata vel publica, sed dicta pecunia doctorum non existentium in privata vel publica sine causa legitima, arbitrio Rectoris et Vicarij domini Archidiaconj computanda, restituatur scolarj examinato vel publicato, ut moris est, sub pena decem solidorum bon. cuilibet doctorj contra facientj. Adicientes quod si predictus scolaris velit ire ad dictam privatam recipiendam ultra dictum numerum decem sociorum, possit ire sine aliqua pena.

### **Quod licentiandi in artibus tantum solvant quantum licentiandi in medicina – Rubrica LXXII**

[272] Statuerunt etiam quod quilibet scolaris de cetero examinandus vel licentiandus vel conventuandus in artibus tantum teneatur solvere Universitatj ac notario, Bidellis, doctoribus et quibuscunque alijs, tempore sue private vel publice, quantum solvunt alij examinandi et conventuandi in Medicina, secundum formam statutorum Universitatis. Quod si quis facere recusaverit, nullus doctor medicine aut artium, vel Rector, aut scolaris, aut bidellus Universitatis sue private vel publice possit vel audeat interesse, sub pena centum solidorum bon.

### **De sacramento scolarium bononie volentium legere aliquos libros extraordinarie – Rubrica LXXIII**

Statuerunt etiam quod quilibet scolaris Civis bononiensis qui de cetero vellet aliquem librum legere in medicina vel artibus, debeat prius domino Rectorj tale prestare iuramentum, quod ad omnes disputationes veniet, sicut alij bachalarij forenses vel ad privatam admissi, et quod non advocabit nec patrocinium prestabit pro aliquo non scolarj contra aliquem scolarem, nisi suam vel suorum iniuriam prosequatur. Et si dictum sacramentum recusaverit prestare, nullus scolaris debeat ipsum honorare nec etiam bidellus, vel audire suum principium, nec etiam ipsius lectiones debeant proclamari per scolas, sub pena quadraginta solidorum bon. cuilibet contrafacientj.

### **Quod nullus examinatus in medicina possit dare vocem nec stare in universitate – Rubrica LXXIV**

Item statuerunt quod aliquis examinatus in medicina non possit dare vocem nec stare in Universitate quando ipsa Universitas congregatur vel convocatur aut congregata est pro aliquibus factis seu negocijs tractandis, nec possit dare vocem, sub pena cuilibet et in quolibet casu, decem librarum bon., nec eligi possit ad aliquod officium Universitatis, pena Rectori, qui ipsum in Universitate predicta dictum talem stare permiserit aut dare vocem contra formam huius statutj, decem librarum bon.

### **Quod novi scolares se teneantur presentare coram domino rectore – Rubrica LXXV**

Statuimus quod omnes et singuli scolares novitij qui venient ad studium in medicina vel artibus, rethorica vel notaria ad civitatem Bononie teneantur, sub pena privationis, infra octo dies postquam inceperint scolas intrare, presentare se coram domino Rectore et coram eo iurare obedire eidem et

observare statuta Universitatis facta et fienda, et solvant immediate Universitatj predicte quindecim solidos bon. et aliter non admittantur. Et quod aliquis eum vel eos non recipiat seu retineat in scolarem vel socium, sub pena privationis; que quantitas remitti non possit alicuj aliqua ratione. Spectet autem [273] dicta pecunia tota et integra ad Universitatem sine aliqua diminutione. A qua privatione restituj non possit nisi solutis Universitatj a quolibet privato quindecim solidis bon.

### **Quod quilibet scholaris faciat dici per scolas quando vult recedere – Rubrica LXXVI**

Statuimus et ordinamus quod quilibet scholaris qui deinceps voluerit recedere, teneatur per tres dies ante recessum suum facere per alterum ex bidellis generalibus Universitatis dici et proclamarj per scolas, quod notum sit omnibus quod talis de tali loco (nominando nomen ipsius quj vult recedere et unde est et cuius doctoris est scholaris) intendit recedere a civitate Bononie; unde si aliquis vult aliquod petere ab eo infra tertiam diem debeat comparere coram domino Rectore, alias habebit licentiam recedendi. Et si predicta facere noluerit, debeat saltim ydoneum substitutum et procuratorem loco suj relinquere, qui faciat predicta per scolas proclamarj et qui respondeat cuilibet de jure et satisfaciat. Et si non comparuerit aliquis infra dictum terminum, transacto dicto termino, possit quandocunque recedere, quandocunque voluerit, obtenta licentia domini Rectoris. Et si aliquis scholaris recesserit non observando predicta, teneatur Rector, ad petitionem asserentis se creditorem, si eum creditorem, etiam summatim, eidem domino Rectori constiterit, dictum scolarem privare, a qua privatione restituj non possit, nisi fuerit in concordia cum dicto creditore et solverit nomine pene Universitati centum solidos [bon]. Item ad evitandam omnem calumpniam que in futurum posset committi, statuerunt quod, factis proclamationibus predictis per scolas per dictos bidellos, quod dicti bidelli eodem die quo proclamaverint debeant renunciare notario Universitatis dictas cridas, nominando et dicendo sibi nomen dicti talis facientis proclamare per scolas aut de quo facte fuerunt dicte cride. Quj faciens proclamare debeat esse una cum dictis bidellis. Quj notarius predicta scribere teneatur, ut retulerunt sibi dicti bidelli, in quodam quaterno ad hoc deputato, et habeat et habere debeat pro dictis cridis solidum unum bon., pena ipsi bidello qui dictas proclamationes fecerit per scolas, si ipsas eidem notario non retulerit, pro qualibet vice quinque solidorum bon., et dicto facienti proclamare, seu ad cuius petitionem facte fuerunt proclamationes, quinque solidorum bon., et perinde esset ac si non fecisset proclamari per scolas, cui scripture plena fides adhibeatur. Item cum contingat scolares volentes recedere velle buletas librorum, statuerunt quod nullus domicellus Rectoris vel alia persona, audeat vel presumat aliquid recipere de aliqua buleta bulanda, vel sigillo universitatis ponendo super aliqua littera, pena cuilibet, qui aliquid receperit, pro qualibet vice viginti solidorum bon. et cuilibet Rectori, qui aliquid permiserit recipiendum, quadraginta solidorum bon.

### **Quod scolares non iurati aut doctores non iurati non gaudeant beneficiis universitatis – Rubrica LXXVII**

Item statuerunt quod aliquis scholaris cuiuscunque facultatis, aut quivis alius ut scholaris se gerens, non possit nec valeat gaudere beneficio aliquo seu commodo Universitatis predicte seu statutis ipsius, aut per ipsam Universitatem, Rectorem ipsius aut statuta dicte Universitati defendj, nisi sit scholaris iuratus qui iuraverit servare statuta Universitatis et obedire Rectori in licitis et honestis ut supra. Decernentes insuper quod aliquis doctor [274] seu professor alicujus alterius scientie quam medicine vel artium, non possit pro aliquo vel contra aliquem procurare vel advocare aut sollicitare palam vel secrete, nisi iuratus

fuerit servare statuta et obedire Rectorj, ut supra, salvo quam in causa seu causis, litibus seu questionibus suis vel suorum licite esse, advocare et procurare possit, pena cuilibet advocanti, procurantj, sollicitanti, et pro qualibet vice, quadraginta solidorum bon. et cuilibet cuius advocatus esset, procurator aut sollicitator, quadraginta solidorum et pro qualibet vice. Quam penam solvere teneatur quilibet contrafaciens infra tertiam diem postquam dictam penam incurrerit, sub pena privationis; a qua privatione restituj non possit nisi dicta pena soluta, et quilibet possit accusare et denunciare et habeat medietatem condempnationis. Et Rector quilibet, qui pro tempore fuerit, possit et teneatur procedere ad petitionem cuiuscumque et delinquentem condempnare, sub pena centum solidorum bon. eidem Rectori, eidem per syndicos auferenda in fine suj offitij.

### De lectura et ordine librorum legendorum – Rubrica LXXVIII

Item statuerunt, cum utile et necessarium sit scholaribus super lectura librorum salubriter providere, quod de cetero in lectura et super lectura librorum legendorum de cetero tam in medicina quam in phylosophya et astrologia talis ordo servetur; videlicet, quod secundum infrascriptum modum hinc ad vigintiquinque annos proxime secutoros inchoandos, et infrascripto ordine, pro primo in phylosophya primo legatur totus liber *physicorum*, quo lecto, legatur primus *de generatione et corruptione*. Extraordinarie primo legatur secundus *de generatione et corruptione*, quo lecto, legatur liber *de sompno et vigilia*, quo lecto, legatur liber *de phisonomia* Aristotilis. In secundo anno primo legatur liber *de celo et mundo*, quo lecto, legatur liber *Mathaurorum*, quo lecto legatur liber *de sensu et sensato*. Extraordinarie primo legatur liber *de substantia orbis*, quo lecto, legatur liber *de memoria et reminiscentia*, quo lecto, legatur liber *de inspiratione, de respiratione*. Quo lecto, legatur liber *de morte et vita*. In tertio sequenti anno primo legatur *de anima*, exceptis erroribus primj, quo lecto, legatur prohemium Methaphysice et non plus de primo. Quo lecto, legatur secundus eiusdem, quo lecto, legatur quintus, sextus, septimus, octavus, nonus, decimus et duodecimus. Extraordinarie primo legatur de quarto *Methaphysice* a principio, usque ibi: *principium vero ad omnia talia*. Quo lecto, legatur liber *de longitudine et brevitate vite*, quo lecto, liber *de causa motus animalium*. Et quod semper lectura extraordinaria incipiatur legi in festivitibus paschatis resurrectionis.

In Medicina in primo anno primo legatur primus Avicenne, excepta anothomia, et exceptis capitulis *de naturis temporum [ann]j* secunde fen, et excepta tertia [275] fen, preter ista capitula de tertia fen. Que legantur scilicet [pri]mum capitulum *de necessitate mortis*, et capitulum *de egritudinibus, que accidunt infantibus*, et capitulum *de regimine eius quod comeditur et bibitur, et capitulum de regimine aque et vinj*, et capitulum *de sompno et vigilia*. Pro secunda lectione in mane primo legatur liber *de differentijs februm*, quo lecto, legatur liber *de complexionibus*, quo lecto, legatur liber *de malicia complexionis*, quo lecto, legatur liber *de simplicibus me[dici]na*, excepto sexto; quo lecto, legatur primus liber *de crethicis*. In nonis primo legatur secunda fen quarti canonis, qua lecta, legantur canones secundi. Quibus lectis, legatur liber *de interioribus*, excepto secundo, quo lecto, legatur sextus *de regimine sanitatis*, quo lecto, legatur secundus *de crethicis*, quo lecto, legatur liber *aphorismorum*, excepta septima particula. In secundo sequenti anno pro prima lectione de mane in medicina, primo legatur liber tegni, quo lecto, legatur liber pronosticorum, sine commento, quo lecto, legatur liber *regiminis acutorum* sine commento, et excepto quarto. Quo lecto, legatur liber *de viribus cordis* usque ibi: *postquam locuti sumus*, exclusive. Pro secunda lectione de mane primo legatur liber *de accidenti et morbo*. Quo lecto, legatur liber *de crisi*. Quo lecto, legatur tertius *de crethicis*, quo lecto, legatur tractatus primus libri *de febribus ad Glauchonem* (\*). Quo lecto, legatur liber *de tabe, de utilitate respirationis*. In nonis pro prima lectione, primo legatur primus Avicenne, excepta *Anothomia*, et exceptis capitulis *de naturis temporum anni* secunde fen, et excepta tertia fen, preter ista capitula de tertia fen, que legantur, seu primum capitulum *de necessitate mortis*, et capitulum *de egritudinibus que accidunt infantibus*, et capitulum *de*

*regimine eius quod comeditur et bibitur et capitulum de regimine aque et vini, et capitulum de sompno et vigilia.* Pro secunda lectione primo legatur liber *de differentijs februm*. Quo lecto, legatur secunda fen quarti, qua lecta, legatur liber *de malicia complexionis diverse*, quo lecto, legatur liber *de simplici medicina*, excepto sexto libro eiusdem. Quo lecto, legatur primus *de crethicis*. In tertio sequenti anno primo legatur pro prima lectione de mane liber aphorismorum, excepta septima particula. Pro secunda lectione primo legatur liber *therapeutice* a septimo usque ad xiiij. exclusive, quo lecto, legatur de libro *colige[t]* (\*) primo prohemium cum secundo capitulo primi et totus secundus. Quo lecto, legatur de quinto usque ad illud capitulum in quo incipit determinare *de simplicibus medicinis*, quo lecto, legantur capitula ultima quinti libri, ubi determinat *de necessitate compositionis medicinarum compositarum* usque ad finem quinti libri. Quo lecto, legatur de libro *de virtutibus naturalibus* primo usque ad vij. capitulum primi, quod incipit *igitur quam quidem necessarium est habentibus simulationem*. Quo lecto legatur tertius eiusdem, quo lecto, legatur liber secundus *de crethicis*. In nonis pro prima lectione primo l[ega]tur liber *tegni*; quo lecto, legatur liber *pronosticorum* sine [276] commento. Quo lecto, l[ega]tur liber *regiminis acutorum* sine commento et excepto quarto. Quo lecto, legatur liber *de viribus cordis* Avicenne usque ibi: *postquam locutj sumus* exclusive. Pro secunda lectione, primo legatur liber *de accidenti et morbo*. Quo lecto legatur liber *de crisi*, quo lecto, legatur tertius *de crethicis*; quo lecto, legatur tractatus primi libri *de febris ad Glauchonem*, quo lecto, legatur liber *de complexionibus*. In quarto anno pro prima lectione de mane primo legatur primus Avicenne, excepta *anothomia* et exceptis capitulis *de naturis temporum anni secunde fen*, et excepta tertia fen, preter ista capitula de tertia fen, que legantur, scilicet primum capitulum *de necessitate mortis*, et capitulum *de egritudinibus que accidunt infantibus* et capitulum *de regimine eius quod comeditur et bibitur*, et capitulum *de regimine aque et vini*, et capitulum *de sompno et vigilia*. Pro secunda lectione primo legatur prima fen quarti, qua lecta legantur canones secundi Avicenne. Quibus lectis, legatur liber *de interioribus*, excepto secundo, quo lecto, legatur sextus *de regimine sanitatis*. Quo lecto, legatur liber *de natura Yppocratis*. In nonis pro prima lectione legatur liber *aphorismorum*, excepta septima particula. Pro secunda lectione primo legatur liber *therapeutice* a septimo usque ad xiiij. exclusive. Quo lecto, legatur de libro *coliget*, primo prohemium cum secundo capitulo primj et totus secundus. Quo lecto, legatur de quinto usque ad capitulum in quo incipit declarare *de simplicibus medicinis*, et postea legantur capitula ultima quinti libri, ubi determinat *de necessitate compositionis medicinarum compositarum* usque ad finem quinti. Quo lecto, legatur de libro *de virtutibus naturalibus* primo usque ad xij. capitulum primi, quod incipit: *Igitur quandoque necessarium*, quo lecto, legatur tertius eiusdem.

In astrologia in primo anno primo legantur *algorismi de minutis et integris*, quibus lectis, legatur primus geometrie Euclidis cum commento Campani. Quo lecto, legantur tabule Alfonsi cum canonibus. Quibus lectis, legatur *theorica planetarum*. In secundo anno primo legatur tractatus de sphaera, quo lecto, legatur secundus geometrie Euclidis, quo lecto legantur *canones super tabulis de linerijs*. Quibus lectis, legatur tractatus astrolabij Mes[s]achale. In tertio anno, primo legatur Alkabicij, quo lecto legatur *Centiloquium* Ptolomej cum commento haly. Quo lecto legatur tertius geometrie, quo lecto legantur *tractatus quadrantis*. In quarto anno primo legatur *quadripartitus* totus, quo lecto, legatur liber *de urina non visa*. Quo lecto, legatur dictio tertia almagestj. Dictis annis completis, et completis dictis libris in dicto termino, fiat circulus, et redeatur ad lecturam primj anni postea ad lecturam secundi anni, et sic per ordinem. Pro lectura autem practice ordinanda, infrascripto modo procedatur, videlicet quod in primo anno legatur prima fen, secunda et tertia tertij canonis Avicenne. Pro secundo anno legatur nona, decima, undecima et duodecima fen tertij canonis Avicenne. Pro tertio anno legatur tertiadecima, quartadecima, quintadecima et sextadecima fen [277] tertij Avicenne. Pro quarto anno decimaoctava, decimanona, vigesima et vigesima prima fen tertij Avicenne. Relique autem fen legantur pro secunda lectione vel extraordinarie prout Rectori cum Consiliarijs visum fuerit.

**Quod nullus qui fuerit privatus possit restitui, nisi soluta pena in privatione contenta – Rubrica LXXIX**

Item provida deliberatione statuerunt quod, si quis scholaris scriptor, corrector, miniator vel stationarius vel quivis privatus seu interdictus fuerit, antequam de interdictione vel privatione restituatur, solvere teneatur penam in privatione contentam, et aliter restitui non possit, nisi dicta pena soluta. Cuius pene medietas sit Rectoris, et alia medietas Universitati applicetur, salvis semper statutis aliter disponentibus. Ita tamen quod dominus [Re]ctor nullo modo partem dictarum penarum sibi contingentem possit exigere vel recipere, nisi parte Universitatis primo soluta, pena eidem Rectori dupli eius quod receperit vel exegerit, et nichilominus talis solvens incidat in penam dupli eius quod solverit. Et quod dominus Rector, sub virtute prestiti iuramenti, suam partem penarum remittere non possit. Et si quis privatus fuerit per iniuriam vel per offensam, nullo modo possit restitui, nisi in presentia et voluntate offensi, vel maioris partis Universitatis. Et si aliquis alio modo fuerit restitutus, illam restitutionem vanam et irritam iudicamus, salvis semper statutis aliter disponentibus. Item statuerunt quod quicumque fuerit privatus honore dicte Universitatis, sit etiam et esse intelligatur privatus, quod nullus doctor, scholaris vel quivis alius qui gaudeat beneficijs et honoribus dicte Universitatis audeat vel presumat conversationem cum dictis privatis habere vel cum aliquo dictorum privatorum, vel audeat in domo cum aliquo de dictis privatis stare. Et quod aliquis doctor vel aliquis alius non audeat vel presumat legere vel repetere donec aliquis dictorum privatorum fuerit in scolis suis, sub pena privationis in quolibet dictorum casuum, quam quilibet ipso facto incurrat, de qua privatione aliquis contrafaciens restitui non possit nisi primo solverit nomine pene dicte Universitati centum solidos bon. Statuerunt insuper et firmaverunt, ad hoc ut nullus doctor propter supradicta dampnum aliquod patiatur, quod quicumque scholaris privatus fuerit teneatur intrare dicto anno sub doctore, sub quo intrabat quando privatus fuit, postquam fuerit restitutus, si contingeret eum dicto anno restitui, sub pena centum solidorum bon. et tantumdem cuilibet doctori qui pro illo anno dictum talem restitutum receperit in scolarem. Voluerunt tamen quod de dictis condemnationibus, privationibus et restitutionibus stetur et plena fides adhibeatur scripturis scriptis manu notarii Universitatis aut eius substituti, omni exceptione reiecta. Et quod omnia nomina et prenomina privatorum et rerum privatarum stent publice in statione scripta in quadam tabula ad hoc deputata, ut omnibus possit esse notum.

**De privilegijs scholaribus concessis in domibus conductis et conducendis – Rubrica LXXX**

Item statuerunt quod si aliquis scholaris de Universitate predicta, aut quivis alius dicte Universitati suppositus, qui iuraverit obedire domino Rectori presentij aut qui pro tempore fuerit et servare statuta Universitatis predictae facta et fienda, conduxerit aut conductam habuerit aliquam domum vel aliquod hospitium pro aliqua pensione aut mercede, quod eidem conductorij seu conductam habenti, liceat iure inquilinatus, quod ius pro [278] dicta conductione conducenti competere statuerunt, etiam pro sequenti anno ipsam domum seu hospitium pro eadem pensione retinere, et sic successive usque ad triennium a tempore conductionis. Et si plures socij simul et semel conducentes non possint, quotcumque fuerint, dictum beneficium habere, nisi usque ad triennium inter omnes, computatum a tempore conductionis. Nec possit pro maiori pensione ipsam domum seu hospitium retinere, aut de novo reconducere ipsam aut aliam de novo conducendam aut conducendum, nisi aliquod melioramentum factum esset in domo seu hospicio, propter quod plus solito valeret, pena cuilibet conductori per se vel alium contrafacienti centum solidorum bon. pro vice qualibet qua contrafecerit. Teneatur tamen quilibet retinere volens et

benefitio inquilinatus et huius statuti uti, ut supra, anno quolibet dum pro sequenti voluerit retinere, ante festum beate Marie mensis septembris ad stationem generalium bidellorum ponere quandam cedulam, in qua contineatur nomen et pronomen ipsius ac domus et confinia quam retinere intendit, et cuius est, ac solitam pensionem; alias benefitio huius statuti, quantum ad dictam domum seu hospitium ratione dicte conductionis, penitus sit privatus. Bidelli autem predicti et ipsorum quilibet teneantur sub virtute prestiti iuramenti talem cedulam recipere, et super ea scribere diem porrectionis ipsius, et per quem porrigitur, et ipsum in una filza ponere cum alijs et in statione tenere et custodire, ita quod videri possint dicte cedule a quibuscumque. Et si retinere volens domum seu hospitium, ut supra, in retentione impediretur seu molestaretur, ita quod dicto benefitio retentionis uti non possit, domus talis seu hospitium usque ad triennium privetur et interdicatur; de quibus, privatione et interdicto, non restituantur, nisi primo solute fuerint depositario Universitatis predictae, pene nomine, decem libre bon. Si tamen postea ipsam domum seu hospitium pro dicto tempore seu aliqua parte ipsius locaret, seu locasse reperiretur, sine licentia dicti primi conductoris, domus predicta seu hospitium interdicatur seu privetur, ut supra, nec restituji possit, nisi primo solutis ut supra decem libris bon. Et eundem benefitium habere voluerunt omnes et singulos doctores scientie medicine seu artium et Sapientem et Syndicum ac Notarium et bidellos dicte Universitatis. Liceat etiam cuilibet conductori iura predicta inquilinatus et retentionis sibi competentia et pro dicto tempore cedere cuilibet, dum tamen de Universitate et subiecto Universitati, qui iuraverit obedire in licitis et honestis et servare statuta Universitatis facta et fienda. Qui in iure sibi concesso eodem |modo| quo cedens fruatur benefitio, dum tamen suo consocio in domo seu hospicio predicto commoranti illud cedere possit et teneatur si voluerit ipse consocius sibi cedj et eo casu, non alterj. Statuentes insuper quod aliquis scholaris de Universitate aut dicte Universitati suppositus non possit nec audeat, sub virtute prestiti iuramenti et sub pena centum solidorum bon., ante festum sancte Marie mensis septembris conducere aliquam domum, quam habitaret aliquis scholaris de dicta Universitate aut alius dicte Universitati suppositus. Et quod aliquis inhabitans, ut supra, ante dictum festum hospiti respondere non teneatur si intendit aut vult ipsam retinere vel non. Festo autem predicto elapso, teneatur quilibet inquilinus, qui cedulam non dedisset, ut supra, sub virtute sacramenti, domum seu hospitium patienter ad petitionem hospitis cuicumque et quodcumque ostendere seu ostendi facere, pena cuilibet contrafacienti et pro qualibet vice quadraginta solidorum bon. Scholares autem domos conducere volentes, non audeant nec presumant per se vel alium aliquam domum seu ospitium conducere seu conduci facere pro maiori pensione, quam pro ea vel eo solita sit solvj, nisi aliquod melioramentum factum esset, propter quod rationabiliter [279] plus locari deberet, pena cuilibet contrafacienti centum solidorum bon. Declarantes quod aliquis de Universitate predicta seu ipsi Universitati suppositus non audeat vel presumat conducere seu conductam tenere aliquam domum seu aliquod hospitium privatum vel interdictum, sub pena periurij et privationis, a qua privatione restituji non possit nisi primo soluti depositario Universitatis predictae centum solidis bon.

### **De modo et forma electionis bidellorum generalium, et eorum offitio et salario – Rubrica LXXXI**

Item cum hoc sit quod Theodoricus de Alamania et Naninus Benasai, nunc generales bidelli Universitatis predictae et scholarium eiusdem, sint sufficientes et ydonei ad serviendum Universitati predictae et scholaribus ipsius, et ipsum offitium pre alijs in quantum velint melius exercere et explicare, statuerunt et ordinaverunt quod Theodoricus et Naninus predicti sint et esse intelligantur in futurum bidelli eiusdem Universitatis. Ne autem ex predictjs aliquam sibi assumant arrogantiam et scholares

spernant ac despiciant quoquo modo, et ut materiam habeant scolares honorandj et eis serviendi pro posse, statuerunt quod, elapsis tribus annis, inchoandjs a kalendis mensis february subsequeutis, facta electione Consiliariorum in sancto Francisco, vel alibi, in loco consueto ete is publicatis, immediate Rector qui pro tempore fuerit, teneatur ad se convocare dictos Consiliarios, et, eis convocatis, sacramento eis delato ac per eos prestito quod sanum dabunt consilium pro Universitate et scholaribus, remoto odio, amore, timore, pretio, prece, ac etiam Sapientem et Syndicum Universitatis, si eius copia haberi poterit, et notarium ipsius Universitatis, ponat ad partitum inter eos, si eis placet, quod dicti bidelli scrupitiniuntur et scrupitiniari debeant in Universitate, ponendo partitum de quolibet per se. Et tunc si fuerit optentum per duas partes dictorum Consiliariorum et Rectorem quod dicti bidelli vel eorum debeat aliquis scrupitiniarij, licitum sit eidem domino Rectori ea die vel sequenti ad eius beneplacitum facere convocarij Universitatem, et ibi proponere et scrupitinium facere utrum ipse vel ipsi de quibus optemptum fuerit quod scrupitiniarij debeant, ponendo de quolibet scrupitiniando partitum per se clare et aperte, debeant, seu debeat, esse et remanere bidelli dicte Universitatis, an vero non. Et si obtinebitur per maiorem partem scholarium dicte Universitatis quod bidelli remaneant, sint bidellj. Et in capite aliorum trium annorum Rector, qui pro tempore fuerit, simile facere teneatur. Sj vero obtemptum fuerit per duas partes presentium in Universitate predicta, quod ipsi vel aliquis eorum removeatur a dicto offitio, tunc immediate, antequam ad alia procedatur in eadem Universitate (nisi deliberaretur pro meliori quod differeretur, quo casu jn prima congregatione Universitatis eiusdem) debeat loco talis, qui, facto partito ut supra, amisisset vel remotus fuisset, alius ydoneus per ipsam Universitatem, facto partito, subrogari et poni, et sic subrogatus et positus bidellus sit et esse intelligatur. Et eodem modo procedatur quantum ad personas subrogatas, ut supra est dispositum et provisum. Si autem inter Consiliarios obtinebitur quod scrupitiniari non debeant, eo anno scrupitiniari non possint. Sed ex nunc statuerunt et firmaverunt quod in capite quatuor annorum, diminuendorum ut supra, proxime secutorum, in dicta Universitate debeant scrupitiniari divisi, ut supra, ad fabas albas et nigras utrum scrupitiniandus sit confirmandus bidellus necne. Tempore autem scrupitiniij scrupitiniandus extra locum scrupitiniij stare teneatur, ne eius aspectus aliquos moveat ad complacendum. Et si [280] obtinebitur per maiorem partem quod bidellus remanere debeat, sit bidellus ut supra. Si autem per duas partes obtineretur quod capsari debeat, sit capsus, et ad electionem alterius procedatur ut supra. Et sic successive fiat et observetur de triennio in triennium vel de quartennio in quartennium, ut supra, donec durabunt presentia statuta. Teneantur autem dicti bidelli, vel saltim alter eorum, stare continue horis congruis ad stationem suam, et sollicite et attente offitium suum operari, ac etiam citationes, commissiones et requisitiones, precepta et mandata eis commissa per Rectorem et Consiliarios aut eorum Congregatorem, in casu ipsis Consiliarijs vel Congregatorj permissio, vel alium qui presentium statutorum vigore committere posset, sollicite, pure, diligenter et bona fide facere et explicare, et legere per omnes scholas omnes et singulas scriptas que legj debuerint absque aliquo salario seu mercede, nec non omnibus et singulis preceptis seu mandatis domini Rectoris in licitis et honestis parere et obedire, doctoribus et scholaribus quibuscunque debitam reverentiam portare, eos graciose recipere et videre ac eisdem placibiliter et cum modestia respondere, credentias eis et cuilibet eorum impositas tenere, petias et scripturas et questiones in eorum statione tam positas quam ponendas legaliter et bona fide custodire et salvare, et generaliter omnia et singula facere et exercere, que quomodolibet ex forma aliquorum statutorum injungerentur eisdem, et ab illicitis et prohibitis abstinere, sub pena cuilibet predictorum et pro qualibet vice qua contra predicta fecerint seu venerint, decem solidorum bon., quam ipso facto incurrant seu incurrisse debeant. Et quilibet in virtute prestiti iuramenti teneatur eos contrafacientes aut predicta non servantem denunciare palam vel secrete domino Rectori aut dicte Universitatis Syndico et habeat tertiam partem pene. Quij Rector et Syndicus cum predicta fuerint denunciata, sub penis in statutis contentis, teneantur effectualiter contrafacientem

urgere et compellere seu compelli facere ad solvendum penam predictam. Que omnia et singula facere et observare iuxta posse iurare corporaliter ad sancta dei evangelia, teneatur quilibet dictionum bidellorum tempore introitus cuiuscumque Rectoris infra octo dies introitus supradicti, sub pena quadraginta solidorum bon. Et nichilominus iurare teneatur ut supra. Si autem contingerit aliquis bidellorum predictorum ex iusta causa impediri posse sibi commissa ut supra, explicare, liceat eidem per idoneum substitutum predicta facere, alias non. Si vero contingeret aliquem eorum decedere, tunc procedatur ad electionem et subrogationem alterius in Universitate predicta iuxta formam superius traditam. Et quia quilibet mercenarius dignus est mercede sua, et honorem Universitati et scholaribus |affert| dictos bidellos de suo labore premium habere, et se condecenter regere et gubernare posse, statuerunt quod ipsi bidelli possint et eis liceat bis in anno, tempore et modo infrascriptis, per scholas et inter scholares collectam facere, et pro collecta ipsorum percipere et habere debeant a quolibet scholari pro prima collecta duos solidos [bon.], et a quolibet doctore legente decem solidos bon., et a quolibet alio tenente cathedram in disputationibus octo solidos bon., computatis seu connumeratis in dictis octo libris collecta percepta seu quam perciperet a tali cathedram tenente, ut supra. Et pro secunda collecta habeant a quolibet scholarj et a quolibet doctore ut supra, salvo quod a stantibus in banco Rectoris et in primis bancis debeant habere, a quolibet scholarj qui sederit in dictis bancis, tres solidos bon pro qualibet collecta. In scholis autem grammaticae et cyrugie et loyce bidelli predicti possint et debeant bis facere collectam, et pro suo labore habeant et habere debeant scilicet in loyca pro prima collecta solidos duos a quolibet scholarj, et a quolibet doctore loyce solidos decem; et pro secunda [281] habeant a quolibet scholari medicine et artium, ut supra. In scholis cyrugie habere et percipere possint et debeant pro prima collecta a quolibet scholarj solidum unum, et pro secunda tantundem; a quolibet doctore solidos quinque pro prima collecta et pro secunda tantundem. Item in scholis grammaticae habeant a quolibet scholarj pro prima collecta solidum unum et pro secunda tantundem, et a quolibet doctore grammaticae decem solidos et pro secunda tantundem. Primam autem collectam faciant quancumque voluerint post collectam doctorum, et secundam collectam in secunda obdomada quadragesime, vel post, ad eorum voluntatem. Quas quantitates ad minus quilibet supradictis bidellis vel alteri eorum solvere teneatur sub virtute sacramenti et pena dupli quantitatis predictae solvende cuilibet doctore et cuilibet scholari, applicande dictis bidellis. Hoc addito et declarato quod aliquis ex dictis bidellis, tempore quo collectam facient, non audeant exclamare: *talis dedit mihi tantum*, nec aliquem actum facere propter quem comprehendi seu percipi possit quanta sit quantitas, ad numerum, quam a scholarj vel alio percepisset, pena eidem bidello, et pro qualibet vice, decem solidorum bon. exigenda per Rectorem si hoc sciverit, alias, ad denuntiationem cuiuscumque et in secreto tenendi sub penis statutorum. Item possint et debeant habere pro quolibet examine artium viginti quinque solidos bon. et pro publica vel privata totidem. In medicina vero pro examine et publica vel privata habeant medietatem minus quam in artibus. Pro insignis autem, scilicet libri traditione, anuli exarratione et bireti impositione, publicando dandis seu fiendis, nichil petere possint vel habere seu audeant quoquo modo ab aliquo scholari nostre universitatis. Et consimiliter solvant etiam examinandi in artibus Universitati pro examine solidos triginta, pro publica vel privata totidem. In medicina autem pro examine solidos quindecim, pro publica vel privata totidem. Possint etiam et eis liceat percipere et habere de qualibet petia quatuor denarios pro eorum labore, exceptis petijs que sunt Universitatis, de quibus habeant pro qualibet petia duos denarios bon. pro eorum labore quem habent in ipsis prestandis et custodiendis. Item ad evitandum rixas que solent accidere, statuerunt quod, facta collecta doctorum grammaticae, ad requisitionem dictionum bidellorum quilibet magister teneatur dare dictis bidellis nomina omnium scholarium existentium in scholis et hospitijs eorum, distincte per camaras, et repetitores sub pena decem librarum bon. cuilibet doctorj. Et quod diximus de magistris dicimus de Repetitoribus quando bidelli requisierint dictos Repetitores, quod Repetitores dent scholares suos in scriptis. Et quod ea die, qua dicti bidelli jverint ad

eorum collectam faciendam, tunc dicti Repetitores et doctores teneantur cogere omnes scolares ut sint ad eorum collectam, sub dicta pena decem librarum bon. Et siquj fuerint deficientes vel non dantes pecuniam, quod ad requisitionem dictorum bidellorum faciant quod sit cautum dictis bidellis pro quolibet non solvente vel non dante pecuniam.

#### **De salario bidellorum particularium et eorum offitio – Rubrica LXXXII**

Statuerunt etiam quod bidelli particulares doctorum legentium qui custodiunt libros et quilibet dictorum bidellorum, debea[n]t horis debitis aperire scholas et eas banchis et alijs ordinatas ac tempore debito purgatas tenere, et continuo interesse et stare juxta scholas suas quamdiu doctor cui servit steterit in cathedra, et quando exibat vel intrabit scholas, nisi iusta causa se excusaret, sub pena quinque solidorum pro qualibet vice. Et quilibet possit et teneatur, in virtute iuramenti, qui sciverit vel viderit contrafacientem [282] accusare et denunciare, et habeat tertiam partem condemnationis. Et Rector, sub pena statutorum, dictam penam exigere teneatur et debeat, et in credentia accusans seu denunciatus teneatur. Liceat tamen dictis bidellis pro eorum labore et premio bis quolibet anno in scholis quibus serviunt facere collectam, et habeant et habere debeant a quolibet scolari qui intraverit sub doctore suo, duos solidos bon. pro prima collecta, et pro secunda unum, salvo quod bidelli doctorum legentium de mane in medicina debeant habere a sedentibus in banco Rectoris et in bancis anterioribus pro qualibet collecta de mane duos solidos bon. Item debeant habere pro paleis a quolibet dictorum scholarium unum solidum bon.; et habeant a quolibet doctore, cuius fuerint bidelli, pro qualibet collecta decem solidos bon. Et quod quilibet dictorum doctorum det eis in cathedra, sub pena dupli cuilibet dictorum doctorum, Universitati applicanda. Item habeant a quolibet doctore pro collecta palearum solidos quinque bon. Statuentes insuper quod aliquis dictorum bidellorum particularium tempore quo collectam faciet, non audeat exclamare vel alium actum facere, propter quem comprehendj possit quanta quantitas fuerit, ad numerum, quantitas recepta a scolarij, pena cuilibet contrafacienti et pro qualibet vice quinque solidorum bon. Insuper habeat quilibet dictorum bidellorum particularium a quolibet doctorando, pro qualibet scientia in qua doctorabitur et pro quolibet doctore cuius fuerit bidellus, quinque solidos bon., dum tamen si eidem doctore serviret in diversis horis.

#### **De sacramento bidellorum generalium universitatis – Rubrica LXXXIII**

Statuerunt et ordinaverunt quod bidelli generales Universitatis predictae in initio introitus cuiuscunque Rectoris, infra octo dies, tenea[n]tur ipsi Rectori corporale sacramentum prestare ultra alia in eorum offitijs iurata, quod sollicite, diligenter et attente credentias Universitatis, et alias quascunque sibi impositas vel imponendas, tenebunt, neminj revelando vel propalando dicto vel facto, et omnia et singula statuta Universitatis tam facta quam fienda pure et sine fraude servabunt, Universitatem et scolares eiusdem pro posse defendere, et ad exequias defunctorum ibunt, ac cetera alia facient et explicabunt, que eis comissa sunt vel committentur in futurum, per aliqua statuta Universitatis predictae. Et si predicta iurare non vellent, ipso offitio sint privati, et in eorum loco alius vel alij Universitatis, arbitrio Rectoris, subrogentur.

#### **De sacramento bidellorum particularium – Rubrica LXXXIV**

Item statuerunt quod omnes bidelli doctorum, tam ordinarie quam extraordinarie legentium, debeant iurare obedire Rectori et servare statuta que eos tangunt, et venire ad convocationem et congregationes ipsorum vel alterius eorum et ad exequias secundum formam statutorum dicte Universitatis. Teneantur insuper satisfacere quolibet anno, infra quindecim dies post principium studij, coram Rectore, qui pro tempore fuerit, notario Universitatis, et ipsi Rectori, stipulantj et recipienti nomine et vice dicte Universitatis et nomine et vice omnium et singulorum, quorum interest vel interesse poterit, de centum libris bon. de libris scholarium suas scholas intransium, apportatis in scolis et dimissis, de quibus per duos vel tres testes Rectori fides fieret diligenter, custodiendis et salvandis et eis quorum fuerint, restituendis ipsis, vel extimationem ipsorum, de qua extimatione credatur sacramento cuius liber esset, cum sacramento illi prestito et a duobus alijs quod [283] credebant librum valere tantum. Et si quis bidellorum dictam satisfactionem recusaverit facere vel prestare, ab officio repellatur. Adijcientes etiam quod nullus bidellorum generalium bidelli specialis officium modo aliquo assumere valeat nec audeat, vel se aliquo modo immiscere, pena eidem bidello centum solidorum bon. et tantundem doctori, exigenda per Rectorem, qui pro tempore fuerit, infra octo dies postquam ad ipsius notitiam pervenerit, sub eadem pena.

#### **Quod nullus possit admittj pro bidello alicuius doctoris sine licentia rectoris – Rubrica LXXXV**

Item statuerunt quod nullus admittatur de cetero pro bidello alicuius doctoris legentis ordinarie vel extraordinarie, cuius debuerit esse bidellus, nisi primo Rectori, qui pro tempore fuerit, presentatus fuerit et per eum approbatus et confirmatus, pena doctori qui eum admiserit centum solidorum bon. Et ipsi bidello nullus scholaris audeat aliquid dare pro collecta vel solvere, sub pena prestiti iuramenti. Et quod bidellus sic presentatus non possit repelli nec refutari, per dominum Rectorem qui pro tempore fuerit, nisi cum causa legitima que per maiorem partem consiliariorum fuerit approbata, sub pena Rectori centum solidorum bon.

#### **Quod nullj possit remitti iuramentum quod prestare debet ex forma aliquorum statutorum universitatis – Rubrica LXXXVI**

Item quod nullus iuramenti ex forma aliquorum statutorum, dicte Universitati prestandi, seu observationem statutorum, remissionem seu immunitatem audeat postulare, ita ut, nec per Rectorem, Consiliarios vel additos, vel per ipsam Universitatem totam possit revocari, moderari vel interpretari, nec statuto aliquo tolli vel inmutari, nec contra ipsum dispensatio vel gratia circa aliquem vel aliquos adhiberi, nisi quatenus per statuta contrarium reperiretur, sub pena cuilibet postulanti seu petenti, decem librarum bon. pro qualibet vice, et cuilibet Rectori viginti quinque librarum bon.

#### **Quod aliquis bidellus non possit invitare pro privata vel publica alicujus, nisi primo receperit pecuniam – Rubrica LXXXVII**

Item cum aliquando contingat scolares velle pro eorum privata vel publica quod doctores invitentur per bidellos, absque eo quod deponant pecuniam, et quia aliquando possit contingere dictos bidellos pati et habere dampnum sive incommodum, idcirco obviandum predictis, et ut bidelli a scholaribus odio non habeantur, statuerunt quod aliquis bidellus non audeat vel presumat invitare aliquos doctores pro

privata vel publica alicuius scholaris, nisi primo penes eum deposita fuerit pecunia aut pignus ydoneum de omni quantitate pecunie quam debent vel deberent recipere doctores, Universitas, Rector, bidelli, notarius et alia quecumque persona, sub pena centum solidorum bon. cuilibet bidello pro qualibet vice.

### **Quod aliquis bidellus non det pecuniam privilegij, nisi habuerit privilegium – Rubrica LXXXVIII**

Item quia multotiens contingit scolares conventuandos immediate post publicam eorum velle recedere, et multotiens et quasi ut semper hinc retro, acciderit quod non [284] potuerunt recedere propter defectum privilegij publice eorum, et si recesserint contingerit eos recessisse sine privilegio, idcirco volentes predictis obviare statuerunt quod aliquis Bidellus non audeat vel presumat aliquam quantitatem pecunie alicuj notario [tradere] pro scriptura alicuius privilegij, nisi primo dictum privilegium a dicto notario habuerit, pena cuilibet bidello contrafacientj quadraginta solidorum pro quolibet et qualibet vice.

### **Quod bidelli teneantur presentare privatos notario universitatis – Rubrica LXXXIX**

Item statuerunt et ordinaverunt quod bidelli generales teneantur et debeant omnes et singulas privationes et precepta privationum et quecumque alia eis seu alteri eorum imposita, legere, publicare et facere, secundum mandatum domini Rectoris; et ipsis sic publicatis et factis, ea die vel sequentj debeant referre, presentare et designare notario Universitatis, ad hoc ut de ipsis semper copia habeatur, pena cuilibet eorum pro qualibet vice quadraginta solidorum bon., et pena notario, si non posuerit omnia precepta, privationes et citationes in libris ad hoc deputatis, duorum solidorum bon. pro qualibet vice, exigenda per Rectorem infra octo dies, sub eadem pena. Et quod omnes privati et res private scribantur in quadam tabula, que publice stet in statione generalj, ut omnibus pateat evidenter per unum ex bidellis generalibus Universitatis, sub pena viginti solidorum cuilibet eorum, et pro qualibet vice, qua predicta vel predictorum aliquid obmiserint scribere.

### **Quales et quas petias debent habere bidelli generales – Rubrica LXXXX**

Item statuerunt et firmaverunt quod bidelli generales Universitatis habeant et habere debeant et tenere continuo in statione infrascriptas petias de bona littera et bene correctas, videlicet Galieni *de simplicibus medicina, de alimentis, de febribus ad Glauchonem, de virtutibus naturalibus, de accidenti morbo, de malicia complexionis diverse, de iuvamentis membrorum, de interioribus, de crisi, de creticis, de flobothomia, de tabe, de secretis Galieni, de motibus, [de] liquidis, de pulsibus* omnes, *de ingenio sanitatis* a principio usque ad quartumdecimum, *de complexionibus, de differentijs febrium, de elementis* primi, secundi, tertij, quarti, et quinti Avicenne, Sarapionis *de simplicibus, coliget* et guilielmine; et dictas petias continuo tenere in statione et de eis petentibus copiam facere. Habeant insuper et habere debeant dicti bidelli quandam cartam, sive tabulam, in qua scripte sint omnes et singule petie quas habebunt, et tituli questionum disputatarum; que quidem stent publice et patenter appensa in statione predicta, ita quod quilibet possit legere et videre. Et quod non possint denegare alicuj petenti aliquam petiam si habuerint eam in statione, habendo pignus ab eo qui eam petierit, sub pena quinque solidorum pro qualibet vice. Statuerunt insuper et firmaverunt quod dicti bidelli, et quilibet eorum, debeant pacifice et benivole recipere et acceptare scolares Universitatis, et

nullo modo dicere eis aut alicuj eorum verba iniuriosa vel vituperosa, aut insultum in aliquem vel contra aliquem scolarem facere. Et si contrafecerint, dominus Rector presens, et qui pro tempore fuerit, una cum consiliarijs habeat [285] purum, merum, generale et absolutum arbitrium inquirendi, procedendi, puniendi et condemnandi suo arbitrio, secundum qualitatem facti. Penas autem ut supra impositas per dictum dominum Rectorem et Consiliarios ipse Rector effectualiter exigere procuret et teneatur, sub penis in statutis contentis. Que omnia et singula e converso intelligantur in scolarem dicentem iniuriam dictis bidellis aut facientem insultum in eos, vel contra eos vel alterum eorum. Item quod quilibet bidellus seu stationarius teneatur et debeat petias suas, quas scolaribus locat, habere et tenere ordinatas, luminatas et bene correctas, pena unius solidi pro qualibet petia et qualibet vice.

### **De petijs ultra terminum non tenendis – Rubrica XCI**

Item statuerunt quod aliquis non audeat tenere aliquam petiam, quam receperit a statione bidellorum generalium, ultra decem dies, nec aliquam questionem ultra octo dies, si fuerit unius petie, alias, si pluris, ultra decem dies; et si contrafecerit, solvat, nomine pene, quinque solidos bon. Et quod aliquis de bidellis predictis seu stationarijs non possit dare alicuj nisi unam petiam aut unam questionem pro qualibet vice, nec secundam, nisi prima sibi reportata et effectualiter dimissa, nec etiam predicta facere possint nisi primo ydoneum pignus habuerint, pena cuilibet contrafacientj et pro qualibet vice quinque solidorum bon. Et quilibet possit accusare et denunciare, et habeat medietatem condemnationis et in credentia teneatur. Et dominus Rector teneatur delinquentes punire et ab eis dictas penas exigere, sub pena dupli ipsi Rectorj.

### **De libris venalibus ad stationem generalium bidellorum ponendis – Rubrica XCII**

Cum ad conservationem librorum venalium provisum fuerit quod Universitatis predictae generales bidelli debeant ydonee satisfacere de quingentis libris bon. pro quolibet, ad hoc ut unicuique, tam vendenti quam emere volenti de libris, pro precio sit cautum, quod quidem est et fuit eis, qui iam dictam satisfactionem fecerunt, gravissimum et honorosum, considerantes statutarij illud quod scribitur, quod qui sentit onus sentire debet et commodum, statuerunt et ordinaverunt et firmaverunt quod omnes et singuli libros venales habentes vel qui in futurum habebunt aliquos libros medicine aut aliquarum liberalium artium quos venales intendunt exponere, illos teneantur et debeant venales exponere et designare tantum bidellis predictis, aut alteri eorum pro se et socio recipienti, et nulli alteri bidello sive stationario; et si quos designasset et exposuisset, illos infra tertiam diem repetant et predictis Universitatis bidellis designent quando vendere voluerint, pena cuilibet contrafacientj, et pro qualibet vice, centum solidorum bon. Quorum tertia pars sit accusantis et residuum Rectoris et Universitatis predictae. Et quilibet possit [286] et teneatur contrafacientes accusare et denunciare palam et secrete domino Rectori, faciendo fidem condecens, et in credentia, si voluerit, teneatur. Mandantes insuper quod dicti bidelli dictos libros penes eos exponendos et designandos benigne recipiant, et diligenter ipsos salvent et custodiant et petentibus copiam faciant, et circa ipsorum venditionem tam ex parte ementis, quam etiam vendentis, se legaliter et fideliter gerant, et unicuique in gradu suo se gratos, humiles et favorabiles pro viribus exhibentes. Teneantur insuper predicti stationarij in suo libro, ad hoc specialiter deputato, scribere aperte et clare, de bona littera, que aperte legi possit, nomen et prenomen unius cuiusque designantis seu venalem exponentis sibi aliquem librum et conditionem et intersignia et nomen libri et ipsius extimationem, seu precium pro quo vult venditor

darj, et diem designationis et quando ipsum librum vendidit, et quantitatem precij pro quo vendidit, et diem quando eidem vendidit, et cuj vendidit, ad hoc ut omnis cesset error tam inter venditores et emptores quam etiam inter ipsos et bidellos predictos. Qui liber semper et perpetuo esse debeat ad stationem et in statione dictorum bidellorum, ita quod, quando esset expediens, de eo semper copia habeatur. Suprascripti autem tenoris cedula teneatur bidellus, cui designatus fuerit, dare de sua propria manu, si petita fuerit, ei qui ad stationem librum suum posuerit, pena viginti solidorum bon. in quolibet casuum predictorum. Statuerunt insuper quod dicti bidelli seu alter eorum, et quilibet alter stationarius, teneatur ponere nomina librorum et precium super quadam tabula, que publice stet suspensa in statione sua. Et si qui petant ab eis cuius sunt libri, hoc petenti dicere teneantur, sub pena duorum solidorum pro quolibet et qualibet vice. Possint autem et liceat dictis stationarijs, seu bidellis, habere et recipere quatuor denarios parvos pro libra qualibet precij pro quo liber venderetur, tam ab emptore quam a venditore. Verum quia sepe contingit quod, quando bidelli dicunt scolaribus volentibus emere libros cuius sunt dicti libri, dicti scolares in fraudem dictorum stationariorum forum faciunt cum eo, qui librum venalem exposuisset, [et] etiam eum accipi faciunt de statione, statuerunt quod si aliquis scolaris vel quivis alius posuerit aliquem librum in statione causa vendendi, et postea eum reciperet de dicta statione, et contingat infra mensem vendere dictum librum, vel alias quodcumque alicuj persone de qua, [vere vel presumptive Rectoris] arbitrio, possit esse suspitio quod in fraudem dictorum stationariorum seu bidellorum factum fuerit, quod dictus dominus Rector teneatur cogere quemlibet eorum, videlicet venditorem et emptorem, ad satisfaciendum dictis bidellis de dicta venditione, videlicet quatuor denarios pro libra precij empti a quolibet eorum, ac si dictus liber esset venditus per dictos bidellos et in eorum statione, sub pena cuilibet contrafacienti quadraginta solidorum. Et quilibet, sub virtute sacramenti, teneatur tales contrafacientes denunciare domino Rectori et teneatur in credentia, et habeat tertiam partem condempnationis.

### **Quod nullus audeat emere libros mercimonij causa – Rubrica XCIII**

Item cum sepe contingat bidellos et stationarios, mercimonij causa, Bononie libros emere ex quo et venditores in precio viliori vendendo et emptores in cariori emendo decipi [287] possunt, et verisimiliter decipiuntur, nec, ut expedit, se faciliter scolares libris fulcire possunt, et maxime nisi per ipsorum bidellorum vel stationariorum manus, statuerunt quod aliquis dictorum bidellorum seu stationariorum aut quevis alia persona Universitati predictae subiecta non audeat vel presumat per se vel alium directo vel per obliquum, mercimonij causa, libros emere; et si quis contrafecerit penam incidat ipso facto decem solidorum bon. pro qualibet libra precij empti, exigenda per dominum Rectorem, sub pena statutorum. Et quilibet possit accusare et denunciare tales contrafacientes palam et secrete, et habeat medietatem condempnationis. Teneatur etiam quilibet Rector, ad denuntiationem cuiuscunque, de predictis inquirere et culpabiles punire, ut supra, ac etiam teneatur omni mense eligere duos scolares secrete qui debeant inquirere de predictis et quolibet predictorum. Et si aliquem invenerint contrafacientem, denunciare, etiam in secreto si voluerint, domino Rectori, qui pro tempore erit, quorum et cuiuslibet eorum denuntiatio, cum sacramento, pro plena probatione habeatur, non excludendo ex predictis quin alius denunciare possit, et habeat partem suam, ut supra, pena cuilibet Rectori, qui fuerit pro tempore, viginti solidorum pro quolibet et qualibet vice qua negligens fuerit in predictis. Item ad maiorem cautelam predictorum, statuerunt quod dominus Rector presens una cum doctoribus et aliquibus scolaribus infra mensem proxime venturum teneatur ire coram domino civitatis vel Ancianis Communis Bononie, et ab eis petere quod faciant aut fieri faciant provisionem quod nullus

possit emere libros medicine et artium, mercimonij causa, sub certa pena per eos indicta, sub pena Rectori, si negligens fuerit in predictis, decem librarum bon.

#### **De matricula artistarum quolibet anno fienda – Rubrica XCIV**

Item cum hoc sit, quod multi scolares sint Bononie commorantes quj tanquam forenses et ad forum seculare trahuntur et plerunque carcerantur, nec beneficio solum gaudere possint, quia nomina eorum non sunt conscripta in aliqua matricula solum, et hoc contingit plerumque magis ignorantie facilitate quam fraude, idcirco, ne predicta contingere possint volentes obviare pro posse, statuerunt quod quilibet Repetitor grammaticae, loyce, philosophiae, et quilibet alter Repetitor alicuius artium, qui intrat vel intrabit in posterum scholas sub aliquibus doctoribus, ac etiam quilibet scholaris forensis studens in chirurgia, loyca, philosophia sive astrologia vel grammatica vel notaria, qui non erit in Universitatis matricula conscriptus, teneatur et debeat infra octo dies, postquam praesens statutum erit per scholas lectum et publicatum (quod legi per scholas mandamus quolibet anno per notarium Universitatis infra quinque dies a die inchoationis studij) se presentare domino Rectori aut bidellis Universitatis et iurare obedire dicto domino Rectori et cuilibet, quj pro tempore fuerit, in licitis et honestis, ac etiam solvere depositario Universitatis, sive Iohanni bidello nomine et vice ipsius Universitati recipienti, quinque solidos bon. infra dictum terminum, causa introitus dicte matricule. Et si quis excusaret se a dicta solutione propter inopiam eius, et hoc iuraverit, a dicta solutione excusetur. Et predicti sic solventes in dicta matricula Artistarum conscribi debeant, et gaudeant beneficio solum. Et dominus Rector, qui pro tempore erit, teneatur et debeat dictos conscriptos in dicta matricula defendere et de ipsis ac ipsis jus reddere tamquam de [288] subditis et subditis Universitati, ac statutis Universitatis beneficijs gaudeant in omnibus et per omnia, salvo quod venire non possint nec teneantur ad convocationes seu congregationes fiendas per Universitatem pro aliqua electione fienda, sed venire teneantur et compellantur ad exequias solum defunctorum qui sit medicus vel artista, et ad publicas fiendas in medicina vel artibus, ut faciunt scolares conscripti in matricula medicorum. Addentes quod si contingeret de cetero aliquem predictorum medicinam audire, quod tunc scribatur in matricula generali medicorum, et tantum solvat minus quindecim solidis quantum solverit pro introitu supradicto, sub pena privationis cuilibet contrafacientj, et sub pena privationis omnium beneficiorum Universitatis; a qua privatione non possit restitui nisi solvat, nomine pene, Universitati decem solidos bon., et dictam matriculam intraverit, pena cuilibet doctori legentj in loyca, notaria, astrologia, vel philosophia, vel aliqua liberalium artium, in predictis vel aliquo predictorum preiudicium facienti, quinque librarum bon. Item quod quilibet doctor tam loyce, chirurgie, grammaticae et alterius artium, teneatur in principio studij et semper, quando aliquis novitius accesserit ad suas scholas vel ad suum auditorium, dare in scriptis bidellis generalibus omnes suos novitios sub virtute sacramentj, etiam si post initium studij supervenerint, et sub pena quinque solidorum bon. pro quolibet, quem obmiserint in scriptis dare. Et quod nullus doctor audeat vel presumat post dictos octo dies, si aliqui essent in suo auditorio contra formam statuti predicti, legere aut eos tenere in domo vel hospitio seu in scholis, sub pena viginti solidorum [bon.] cuilibet doctori contrafacienti pro quolibet scholare sic inobediente et pro qualibet vice, Universitatj in totum applicanda sine aliqua diminutione in quolibet dictorum casuum, et ut in statuto posito sub Rubrica *quod novi scolares teneantur se presentare coram domino Rectore* est provisum. Quod statutum inviolabiliter observetur, pena cuilibet Rectori non observanti predicta et quodlibet predictorum, aut ea non observare facientj, decem librarum bon. Item quod dicta matricula fiat omni

anno de mense novembris quem admodum sit matricula scholarium studentium in medicina sub pena ipsi domino Rectorj.

### **De matricula scholarium medicine quolibet anno fienda – Rubrica XCV**

Statuerunt quod dominus Rector et consiliarij precise teneantur et debeant de mense novembris quolibet anno facere precipi per scholas et nuntiarj quod omnes qui intendunt esse in Bononiensi studio pro toto anno vel parte annj in scientia medicine, teneantur dare in scriptis notario Universitatis vel bidellis generalibus eiusdem eorum nomina et cognomina. Qui notarius vel bidellus teneatur dicta nomina in scriptis redigere distincte, ponendo per se divisam quamlibet nationem. Teneatur etiam ipse Notarius matriculam quamlibet intitulare infrascripto modo: *In christi nomine amen, anno domini*, etc. ponendo millesimum et inditionem que erunt pro eo anno, quo fieri et scribi matricula predicta contingerit. Et postea dicat et scribat: *Hec est matricula generalis studij medicorum civitatis Bononie juratorum servare statuta facta et fienda dicte Universitatis et obedire domino Rectori ipsius in licitis et honestis per me Iohannem notarium subscriptum, ac ipsius Universitatis notarium, tempore Rectoratus talis Rectoris*, ponendo etiam nomen Rectoris, qui tunc temporis esset; et habeat pro scriptura matricule solidos viginti bon. Quo libro facto, teneatur etiam dominus Rector facere et dici et mandari per scholas [289] quod omnes et singuli novitij et omnes alij qui non intraverunt Universitatem, nec iuraverunt obedire Rectori presenti, et qui pro tempore fuerit, ac servare statuta Universitatis facta et fienda et ad alia faciendum que tenentur ex forma statutorum Universitatis et quod alij novitij qui post dictam denuntiationem seu proclamationem venerint ad civitatem Bononie pro studendo in dicta scientia medicine, teneantur infra octo dies venire etiam et iurare et ea facere, que continentur supra in statuto posito sub Rubrica: *de eo qui venerit noviter ad studendum* etc. Voluerunt etiam quod quicumque scholaris dicte Universitatis cognoverit aliquem novitium vel aliquem alium qui non iuraverit, ut dictum est, teneatur, sacrament[i] vinculo, ipsum denunciare Rectori vel notario aut bidellis Universitatis; qui Rector teneatur ipsum compellere ad iuramentum prestandum, ut in statutis plenius continetur. Et siqui iurare contempserint, contra ipsos ipse dominus Rector habeat purum et merum arbitrium, statuto aliquo non obstante, scilicet in penis exasperandis et non modificandis, et in eis imponendis et exigendis. Statuerunt insuper et firmaverunt quod nullus possit vel audeat se facere poni vel conscribj in alia natione quam vere sit. Ita quod si faceret se poni in alia natione quam vere sit, cadat in penam viginti librarum bon., et quilibet possit accusare et denunciare et habeat tertiam partem conde[m]pnationis. Et Rector teneatur contra predictos inquirere et condempnandos condempnare, sub eadem pena ipsi domino Rectorj. Insuper ad probandum quod aliquis sit scholaris et de Universitate predicta, ac ipsum iuratum, secundum quod tenetur ex forma statutorum dicte Universitatis, suffitiat probarj per matriculam predictam in qua descriptum reperiatur nomen et cognomen eius, vel per scripturam sumendam ex dicta matricula de ipsius nomine et cognomine per notarium Universitatis predictae.

### **De anothomia quolibet anno fienda – Rubrica XCVI**

Quoniam ad industriam et utilitatem scholarium spectat et pertinet facere anothomiam, et plerumque consuverunt rixe et rumores in reperiendis seu querendis corporibus, ex quibus seu de quibus anothomia fieri debeat, statuerunt et ordinaverunt quod aliquis doctor aut scholaris aut quivis alius non

audeat vel presumat sibi aquirere aliquid corpus mortuum pro dicta anathomia fienda, nisi primo licentia prehabita a domino Rectore, quj pro tempore fuerit. Quj quidem Rector teneatur et debeat, in dando licentiam inter scolares et doctores, qualitatem et ordinem observare cum dicta licentia petita fuerit. Item quod aliquis non possit interesse in aliqua anothomia hominis masculi ultra numerum vigintj, et ad anothomiam mulieris ultra numerum triginta. Et quod aliquis non possit videre aliquam anothomiam, nisi sit scholaris qui audiverit medicinam duobus annis integre, et sit in tertio anno, etiam si tempore interdicto audivisset. Et qui viderit anothomiam hominis semel, in eodem anno non possit plus videre. Quj vero bis viderit, non possit plus videre Bononie, nisi anathomiam mulieris, quam semel et non ultra quis videre possit, sive viderit anothomiam hominis, sive non. Prefati autem viginti seu triginta qui videre et interesse possunt anothomie, assumantur et eligantur infrascripto modo, videlicet: in anothomia virj quinque de natione lombardorum, quatuor de natione tuschorum, quatuor de natione romanorum, tres de natione ultramontanorum, et tres Bononienses. Et in anothomia mulieris debeant eligi octo de natione lombardorum, septem de natione tuschorum, septem de natione romanorum, quinque de natione ultramontanorum et tres bononienses, salvo quod dominus Rector, cum uno socio, possit esse ad [290] quamlibet anothomiam ultra numerum supradictum, absque aliqua solutione, non obstante quod qui viderit anothomiam semel in eodem anno non possit plus videre. Sit autem in arbitrio eius, qui habuit licentiam a domino Rectore, eligere quos voluerit, servata tamen forma huius statutj. Item quod nullus audeat petere anothomiam domino Rectorj tempore sue electionis in sancto Francischo, sub pena quinque librarum bon. Et quod dominus Rector immediate post acceptationem offitij sui debeat facere publicari per scolas quibus dederit licentiam anothomie, ut omnibus possit esse notum, pena eidem Rectorj non observanti et observare facienti predicta decem librarum bon., et cuilibet scholarj contrafacientj, aut qui contra predicta vel aliquid predictorum venerit, centum solidorum bon. Item quod quilibet doctor, qui a scholaribus fuerit requisitus, teneatur ipsam anothomiam facere modo et forma predictis, non obstante quod ipsam alias fecerit dicto anno, et habeat pro suo salario centum solidos bon. Fiant autem expense predictae et alie, que in predictis occurrerint, seu pro predictis fiende, pro rata comuniter inter scolares qui interesse seu videre debuerint, ita tamen quod pro anothomia fienda de aliquo homine non possint expendi ultra sexdecim libras bon., et pro anothomia mulieris ultra viginti libras bon., pena cuilibet doctori centum solidorum bon. Ita tamen quod dictus talis qui sic juraverit et expensas fecerit, cum uno socio, quem nominaverit, a dictis expensis penitus excludatur. Et quod dominus Rector antequam incipiatur fieri anothomia ad se convocari faciat scolarem, cuj licentiam dederit pro anothomia, et eidem dare sacramentum teneatur, quod expensas faciet bona fide et sine fraude, et quod inter scolares videntes anothomiam communicabit, sub pena Rectorj, qui pro tempore fuerit, decem librarum bon.

### **De scholaribus infirmis et alijs officialibus universitatis visitandis per doctores – Rubrica XCVII**

Item quod si contingeret aliquem scolarem Universitatis infirmari, quod deus avertat, quilibet doctor legens in mane sive in nonis, cuius ille, qui esset infirmus, esset scholaris, teneatur omni die bis talem scolarem infirmum visitare, quousque fuerit infirmus, a principio sue egritudinis usque ad finem, sine aliquo precio vel salario, pena cuilibet doctori centum solidorum bon., si ire noluerit, et pro qualibet vice, qua non iret ad visitandum talem infirmum, quinque solidorum bon., nisi habuerit iustam et rationabilem causam impedimentj. Item, cum contingat aliquando scolarem infirmum non habere Bononie socios vel amicos sibi propinquos, propter quod talis infirmus patitur multa incommoda, et etiam tam de rebus infirmi quam etiam de eo aliquando aliqua enormia possint accidere, ad obvjangum predictis statuerunt quod, quando aliquis scholaris infimaretur, dominus Rector una cum consiliarijs

nationis sue, ac etiam depositarius nostre Universitatis, teneatur talem infirmum visitare in sua infirmitate. Et si aliquando indigeret, teneantur sibi providere de bonis dicti infirmj, secundum exigentiam et necessitatem talis infirmj, sub pena centum solidorum bon. ipsi domino Rectori, et Massario seu depositario Universitatis tantundem, et cuilibet Consiliario sue nationis viginti solidorum bon. pro quolibet. Item ad obviandum malitijs, que possent accidere in futurum in testamentis talium infirmorum, statuerunt, quod si aliquis voluerit facere testamentum, aut ultimam voluntatem, ipsam teneatur fieri facere et scribi per notarium Universitatis, vel eius substitutum. Et si eius copia haberi non posset, aut substituti ipsius, et fieret per alium, quod fiat in presentia domini Rectoris, qui pro tempore fuerit, aut depositarij [291] Universitatis et alterius bidellorum generalium dicte Universitatis, quod si secus fieret, ex nunc statuerunt tale testamentum, seu ultimam voluntatem, nullum fore nichil valere. Statuentes insuper, quod si contingeret, quod deus avertat, Sapientem et Syndicum dicte Universitatis, vel notarium dicte Universitatis aut eius substitutum, aut aliquem de ipsorum vel alterius eorum familijs infirmare, quod quilibet doctor medicine actu legens, qui pro eorum parte fuerit requisitus vel alterius eorum, sub pena periurij, teneatur talem infirmum seu infirmos saltem bis in die visitare in loco in quo esse[n]t, et ipsum cum omni diligentia curare quousque fuerit liberatus, absque quod aliquod precium vel mercedem aut aliud loco ipsius possit percipere vel habere. Et nichilominus qui predicta facere obmiserit, penam incidat centum solidorum bon. pro vice qualibet, Universitatj applicanda. Et aliquis doctor non possit petere aut exigere ab aliquo supradictorum in presenti statuto comprehensorum pro salario vel mercede, cura vel visitatione talis infirmi, seu infirmorum, aliquod salarium vel aliquid aliud nomine salarij, sub pena centum solidorum bon. et restitutionis eius quod receperit. Quas penas si solvere recusaverit et acceptam restituere, privetur et a privatione restituj non possit, nisi predicta adimpleverit.

### **De modo et forma honorandi exequias defunctorum – Rubrica XCVIII**

Item statuerunt quod si contingeret aliquem de Universitate decedere, quod deus avertat, teneatur Rector facere nuntiarj et proclamarj per scholas ut omnes magistri et scholares exequijs defuncti, certa hora debeant interesse, quibus precise interesse singuli teneantur sub vinculo sacramenti et sub pena quinque solidorum pro quolibet scholarj quj ad dictas exequias venire pretermiserit, et cuilibet doctori decem solidorum bon., nisi iustam haberet causam excusationis sacramento vallatam, et sub pena decem solidorum cuilibet electo ad portandum cadaver, qui hoc recusaret. Quj portatores per dominum Rectorem eligantur, et antequam ad exequias vadat, ipsos ad se vocarj faciat, et eis precipiat quod portent talem defunctum, sub pena decem solidorum bon., et in virtute prestitj iuramentj. Et qui una vice fuerit electus, in alia proxima eligi non possit, nec in aliquam incidat penam, si fuerit electus et eam electionem recusaret. Et quod dominus Rector teneatur et debeat pro quibuscumque officialibus dicte Universitatis et eorum attinentibus, Universitatem et doctores convocare et congregare, et ad omnem eorum et cuiuslibet eorum honorem seu actum ex quo honor sequi deberet, accedere, ac etiam ad ipsorum et cuiuslibet predictorum exequias ire, pena cuilibet Rectori, qui, requisitus, predicta facere obmiserit, pro qualibet vice centum solidorum bon. Et in predictis et pro predictis scholares et doctores actu legentes, sub virtute prestiti iuramenti, teneantur eidem Rectori parere et obedire. Et ultra quilibet predictorum, quj nominatim fuerit requisitus, penam quinque solidorum bon. incurrat, nisi paruerit et obedierit, nisi iusta et legitima causa excusetur. Item, quod si contingeret aliquem defunctorum esse in paupertate adeo ut expensis proprijs sepelliri non possit, teneatur ipse dominus Rector eum facere sepellirj, ut decet, expensis Universitatis, quas in casu predicto per Depositarium Universitatis predictae possint et debeant fieri, et faciendo a quantitate expensa liberetur. Teneatur etiam dominus Rector

delinquentes punire secundum formam statuti, sub pena dupli in quolibet dictorum casuum. Hoc addito, quod dominus Rector non audeat convocare Universitatem pro aliquo doctore defuncto, nisi talis doctor tempore vite sue, iurare debens ex forma aliquorum statutorum, iuraverit obedire Rectori in licitis et honestis et servare statuta Universitatis predicte et honorare exequias scholarium et [292] officialium Universitatis defunctorum, et cum effectu servaverit, sub pena Rectori, qui pro tempore fuerit, contrafacientj centum solidorum bon.

### **De pena ludentium ad ludum taxillorum – Rubrica XCIX**

Item statuerunt quod nullus doctor vel scholaris vel quivis alius, qui gaudeat beneficio dicte Universitatis, audeat vel presumat ludere ad ludum taxillorum et azardi in domo quam habitat, vel pati in ipsa aliquos ludere, pena cuilibet contrafacienti, et pro qualibet vice, decem librarum bon., salvo quod in festivitibus domini nostri ihesu christi, scilicet in die nativitatis et in vigilia nativitatis et in die sequenti diem nativitatis. Rector autem, aut eius locum tenens, ad predicta minime teneatur, sed remaneat in suo arbitrio. Quod quidem statutum debeat legi publice per scholas per octo dies ad plus, ante festum nativjtatis dominj, et sit precisum, et quilibet possit accusare et denunciare, et habeat medietatem bannj et in credentia teneatur. Ad ludum autem tabularum et scachorum cuilibet licitum sit ludere, preterquam ad stationem generalium bidellorum, aut sub porticu vel sub hostio dicte stationis, de quibus omnibus et singulis Rector, qui pro tempore fuerit, possit et teneatur inquirere, procedere, punire et condempnare, et habeat in predictis et quolibet predictorum purum, merum, liberum et generale arbitrium, etiam nullo statuto obstante.

### **De trombatoribus et eorum officio et salariis – Rubrica C**

Item statuerunt, ordinaverunt et firmaverunt quod trombatores Universitatis teneantur ad requisitionem domini Rectoris venire ad festivitates et sollempnitates, que fiunt per Universitatem predictam, et ad electiones Rectorum, et eis servire, et ipsos honorare tempore dictarum electionum. Item et teneantur diebus solempnibus in mane cum eorum instrumentis honorare dominum Rectorem prout eis visum fuerit convenire. Item teneantur interesse omnibus et singulis conventibus et honorare conventuandos ante et post ipsum conventum, ad ipsorum conventuandorum voluntatem, per civitatem et ubicumque, pedes et eques, de die et de nocte. Salarium autem ipsorum sit quod quilibet habeat tempore electionis cuiuslibet Rectoris tres solidos bon., et tempore festivitatum, que fiunt per Universitatem, habeant pro quolibet tres sol. bon. Item a quolibet conventuando, si equitabunt cum eo per terram, habeat quilibet dictorum trombatorum, pro suo labore et pro equo, ab ipso conventuando viginti solidos bon. Si vero non equitabunt, habeat quilibet dictorum trombatorum decem solidos bon. et ultra id ab aliquo petere non possint. Quod autem dictum est de trombatoribus, idem intelligatur de nacharato et zalamella quo ad eorum salaria et labores. Item teneantur predicti trombatores, nacharatus et zalamella, tempore electionis cuiuslibet Rectoris, iurare sibi obedire in licitis et honestis et servare formam presentis statutj. Quod si contra predicta fecerint per Rectorem privarj debeant; a qua privatione restituj non possint nisi quilibet eorum, qui fuerit privatus, solvat, nomine pene, Universitatj viginti sol. bon.

### **De feneratore qui prestat pecuniam scholaribus – Rubrica CI**

Item cum utile et necessarium sit scholaribus [providere] super extimatione librorum sub usuris ponendorum propter pecuniam accipiendam mutuo per scolares dicte Universitatis [293] et eidem subditos, et hucusque dicti scolares male tractati fuerint et continuo male tractentur, tam per feneratores, quam per extimatores librorum et dictorum feneratorum, statuerunt, ordinaverunt et firmaverunt, quod per dominum Rectorem et suos consiliarios et Massarium dicte Universitatis inveniuntur feneratores, qui present scholaribus dicte Universitatis, vel dicte Universitatj subiectis, volentibus accipere pecuniam sub usuris, et present ad plus pro quatuor denarijs libram. Sed cum interdum sit penuria denariorum et interdum divitia apud feneratores, statuerunt quod dominus Rector et Consiliarij, quj pro tempore fuerint, una cum dicte Universitatis Depositario, habeant arbitrium addendi et minuendi de dicto pretjo usurarum pro libra qualibet secundum cursum temporis. Qui feneratores present et prestare debeant secundum extimationem bidellorum generalium dicte Universitatis, fiendam per eos de libris per dictos scolares sub usuris ponendis; et ad cautionem dictorum feneratorum, statuerunt quod dictj bidelli satisdent dictis feneratoribus et Rectori ac Consiliarijs et Massario predictis de extimando bene, legaliter et bona fide libros predictos sub usuris ponendos per dictos scolares, et etiam si in capite anni, a die quo dictus liber fuerit sic extimatus per dictos bidellos et subpignoratus per aliquem scolarem vel quemcumque.

### **Quod duo sint prosonete seu mediatores domorum – Rubrica CII**

Item quod eligantur duo prosonete, sive mediatores, hospitiarum inter hospites et scolares, quos elegerunt et esse voluerunt ..... qui mediatores habeant et habere teneantur et debeant quandam quaternum, seu librum, in quo sint descripte omnes domus quas habitant omnes scolares medicine, et precium pensionis et quantitatis camararum et situm domorum, et etiam omnes alias domus quas scient fore locandas et precium earum; quem quaternum, seu librum, ad stationem et in statione generalium bidellorum tenere teneantur ad hoc, ut de ipsis omnibus possit esse notum. Et quod dicti mediatores iurent quolibet anno quod non facient locare domum pro maiore quantitate quam pro consueta pensione. Quod si fecerint, incidat in penam quilibet eorum quinque librarum bon., nisi in domo esset facta aliqua melioratio, vel domus esset melior vel pulchrior aliqua ratione, quo casu non teneatur. Item quod nullus scolaris, nisi per seipsum conduxerit, per alios mediatores quam per dictos duos electos vel eorum alterum conducere possit aliquam domum seu hospitium, pena cuilibet scolarij conducentj viginti solidorum bon. pro qualibet vice. Statuerunt insuper, quod si aliquis scolaris conduxerit seu repertus fuerit habitare aliquam domum, quam aliquis dictorum prosonetarum ostendisset tali scolari, teneatur dicto prosonete solvere ad rationem supradictam quatuor denarios pro libra pretij quo conduxisset.

### **De modo et forma servanda in colligendo pecuniam universitatis – Rubrica CIII**

Item ad hoc, ut Universitas predicta pecuniam habeat pro faciendis expensis necessarijs et opportunis, et ut pecunia ipsius Universitatis seu ipsi Universitatj debita, debito modo et ordine recipiatur, congregetur et conservetur et, prout opus fuerit, expendatur, statuerunt et ordinaverunt quod quilibet examinandus et conventuandus ante ipsius [294] examinationem et conventum, et quilibet de novo superveniens ad civitatem Bononie, et quilibet de cetero condemnandus, infra tempus in condemnatione vel statuto, cuius vigore condemnatio fieret, apposito, et quilibet quj de cetero fuerit debitor Universitatis quacumque de causa, teneatur et debeat omne id et quicquid solvere debuerit

Universitati predictae, seu eius Massario vel Depositario, dare et solvere, tempore debito et ordinato seu statuto, Depositario Universitatis, nomine Universitatis predictae recipienti, sub pena dupli, cuicumque non solventi et danti ut supra, eius quod solvere seu dare debuerit, et quod, solvendo predicto depositario, solvens sit et esse intelligatur integraliter et effectualiter liberatus et aliter non. Statuentes insuper etiam quod aliquis alius de cetero non audeat vel presumat aliquam quantitatem pecuniae ad dictam Universitatem spectantem, seu eidem debitam, petere vel recipere ab aliquo, sub pena decem librarum bon., qualibet vice, ipsi Universitati applicanda. Partem vero ad ipsum Rectorem spectantem possint ipsi Rectores petere et recipere a predictis ad ipsorum voluntatem, primo parte Universitatis soluta. Mandantes etiam quod de omnibus et singulis introitibus et expensis dicte Universitatis fieri debeant duo libri ad invicem concordantes, scilicet unus per ipsum Depositarium et alius per Notarium Universitatis. Et quod in primo mense officij cuiuslibet Rectoris, in presentia dicti Rectoris et Consiliariorum dicti libri debeant presentari per unum quemque predictorum, et per ipsum Rectorem et Consiliarios vel maiorem partem eorum ac Sapientem et syndicum Universitatis ratio receptorum et expensarum diligenter examinari et videri debeat, et quilibet receptorum per se rationem reddere et reliqua ac residua, si qua essent, ratione in saldo posita, consignare ac restituere; de quibus quilibet Rector, qui pro tempore fuerit, scripturam per notarium Universitatis fieri facere teneatur in quolibet libro rationum predictarum post ipsas rationes. Pena Depositario, qui predicta facere obmiserit, et librum presentare ad dictam rationem obmiserit, decem librarum bon. et notario viginti solidorum bon. Universitati applicanda, et nichilominus ad predicta effectualiter cogi et compelli possint et debeant. Et quod quilibet Rector, qui pro tempore fuerit, teneatur predicta et quodlibet predictorum facere observari, et sub pena viginti quinque libr. bon.; Depositarium autem predictum et Universitatis predictae, quantum ad predicta et omnia ac singula que depositario seu massario sunt statuta aut in futurum disponentur seu statuerentur, esse voluerunt et elegerunt ....., qui introitus predictos recipere et omnes expensas fiendas per Universitatem predictam, ex forma aliquorum statutorum factorum vel fiendorum, facere teneatur et debeat, et aliter non, sub pena quinque librarum bon. pro qualibet vice, et restitutionis eius quod alias vel aliter fore expensum. Addentes quod nullus Rector, Consiliarius vel scholaris vel quivis alius possit expendere seu expendi facere aliquam quantitatem pecuniae Universitatis vel ad ipsam Universitatem spectantem pro aliqua causa, sine voluntate et licentia Consiliariorum omnium et duarum partium Universitatis, scriptum prius facto in ipsa Universitate et per duas partes Universitatis obtempo. Expense autem fiende per ipsam Universitatem sunt iste, videlicet pro indumentis bidellorum Universitatis, pro salario notarii ac Sapientis et syndici Universitatis predictae, pro petijs scribendis pro ipsa Universitate, pro matriculis quolibet anno fiendis, pro statutis et privilegijs factis scholaribus per Commune Bononie et eis concessis vel de cetero concedendis, exemplandis, pro statutis Universitatis presentialiter scribendis. Possit autem per Rectorem et Consiliarios libere expendi omnis quantitas [295] pecuniae de dicta pecunia Universitatis, pro nuntijs mittendis extra civitatem Bononie pro doctore vel doctoribus electis vel eligendis ad aliquod salarium Communis Bononie, si quo tempore contingeret aliquem eligi, considerata semper qualitate itineris et loci. Alie autem expense quam supradicte fieri non possint, nisi supradicte, vel servato modo predicto, pena cuiuslibet Rectori non observanti vel observare facientij predicta, et quodlibet predictorum viginti quinque librarum bon. pro qualibet vice. Possit autem et teneatur dictus Depositarius in principio electionis cuiuslibet Rectoris prestare de pecunia Universitatis predictae ipsi Rectori usque ad quantitatem viginti quinque librarum bon., recepto tamen et retento prius bono et ydoneo pignore; qui possit ipsum pignori pro ea quantitate quam prestat ipsi Rectori. Et quod in fine officij cuiuslibet Rectoris Depositarius teneatur sibi facere restituere dictam pecuniae quantitatem vel teneatur pignori pignus quod receperit. Salvo quod si Universitas illo temporis medio indigeret pecunia illa, quod tunc teneatur Rector, qui eam habuerit, restituere, vel pignus debeat pignori. Et quod Depositarius

teneatur de sua propria pecunia, si bonum pignus non receperit quod possit pignorarj pro ea quantitate quam prestat, Universitatem conservare indemnem.

### **Quod nullus possit expendere de pecunia universitatis – Rubrica CIV**

Item cum plerumque contingeret aliquos scolares velle expendere de pecunia Universitatis aliquam quantitatem pecunie, et temporibus retroactis predicti scolares et Consiliarij una cum Rectoribus expendiderint pecuniam Universitatis malo modo et in malia expensis, statuerunt et firmaverunt quod aliquis scholaris, Rector, sive Consiliarius aut Massarius sive Depositarius Universitatis, vel quivis alius de cetero non possit expendere vel expendi facere aliquam quantitatem pecunie de pecunia Universitatis in potu vel comestione aut aliqua re vel causa, preter salaria Sapientis et Syndici ac notarij Universitatis et expensas fiendas pro induendis bidellis et nuntijs mittendis extra civitatem et districtum Bononie, pro electione alicuius doctoris, sine licentia et voluntate duarum partium Universitatis. Salvo etiam quod, ad petitionem domini Rectoris et Consiliariorum, Massarius Universitatis debeat facere illas expensas, quas statuta fieri permittunt, sub pena decem librarum bon. domino Rectori, si aliter expenderetur pecunia predicta, et restitutionis dicte pecunie ipsi Universitati et ipsi Massario et cuilibet alteri centum solidorum bon. et restitutionis pecunie expense, salvis semper statutis aliter disponentibus.

### **De petijs scribendis per universitatem – Rubrica CV**

Item quia contingere posset necessarium fore scribi seu exemplarij aliquas petias pro utilitate scholarium evidenti et honore Studij, statuerunt quod, quocienscumque videbitur domino Rectori et Sapienti Universitatis et maiori parti Consiliariorum utile et expediens fore scribi seu exemplarij aliquas petias, et super hoc providerunt quod Massarius seu Depositarius Universitatis expensas pro predictis necessarias libere facere et expendere possit.

### **De modo et forma servanda in honorando festum beate marie mensis martij, conceptionis eiusdem mensis decembris, sancti petri et sancti francisci – Rubrica CVI**

Item statuerunt et ordinaverunt quod in honorando festum beate Marie mensis martij talis ordo servetur, videlicet quod Rector, qui pro tempore fuerit, teneatur quolibet [296] anno per octo dies, antequam dictum festum debeat celebrari, facere proclamari per scholas quod omnes scolares, qui sunt in matricula, teneantur infra tertiam diem dare et solvere Camerario Universitatis, seu bidellis, solidum unum bon. Et etiam precipi facere omnibus doctoribus scientie Medicine et artium quod infra dictum terminum trium dierum debeant, solvisse dictis bidellis tres solidos sub pena privationis. Qui bidelli teneantur facere fieri octo doplerios competentes et honorabiles, qui portentur ante Rectorem et doctores immediate. Et debeant facere venire tubatores, et residuum pecunie dent fratribus. Rector autem prefatus, et omnes predicti doctores et scolares teneantur et debeant, sub virtute sacramenti et pena quinque solidorum bon. pro quolibet scolari, et pro quolibet doctore decem solidorum bon., nisi iusta causa impedirentur, in die festivitatis predictae in mane ad stationem generalium bidellorum se congregare et adunare, et associare dictum Rectorem et suos Consiliarios ad ecclesiam sancti Francisci in eundo et redeundo si domino Rectori videbitur. Qui omnes teneantur et debeant ire pacifici sub pena cuilibet quinque solidorum bon. Scolares autem non solventes in dicto termino, ut dictum est, incidant

in penam decem solidorum bon., quam solvere teneantur infra quinque dies, elapso dicto termino trium dierum, alias priventur; a qua privatione restitui non possint, nisi solvant pro quolibet, nomine pene, decem solidos bon. Item omnia et singula que dicta sunt in festo predicto et modo honorandi dictum festum et de solutione fienda pro honorando predictum festum et penis in dicto statuto contentis ac etiam de modo procedendi in eis, intelligantur etiam in honorando festum Conceptionis beate Virginis et sancti Petri. Similique modo et ordine fiat et fieri debeat omni anno festum beati Francisci, et in proclamando, se congregando, eundo et redeundo cum doctore, ut dictum est. Ac etiam omnia et singula debeant observare, salvo quod per doctores et scolares artistarum et medicorum expense fieri debeant solvendo quilibet scolaris sex denarios et quilibet doctor decem octo denarios bidellis, et quod debeat proclamari per tres dies ante.

### **De modo et forma servanda in honorando festum sancti iacobi, sancti dominici et sancti martini – Rubrica CVII**

Item ad hoc, ut fratres beati dominici et fratres sancti Iacobi ordinis sancti Augustini et fratres ordinis sancte Marie de Monte Carmelo sint favorabiles in honorando Universitatem et conventus fiendos de scolaribus Universitatis eiusdem, aut ipsi Universitati suppositis, statuerunt quod quolibet anno per scolares Universitatis et doctores fiat festum ad infrascriptas ecclesias et quamlibet earum, si fratres, de cuius ecclesie festo ageretur, dederint questiones ad stationem et servabunt statuta posita sub Rubrica: *de questionibus disputandis per lectores fratrum* etc.; et aliter ad ecclesiam dictorum fratrum, qui predicta non observabunt, festum predictum fieri non debeat, videlicet ad ecclesiam sancti dominici, pro festo sancti Dominici honorando, ad ecclesiam fratrum heremitarum, pro festo sancti Iacobi honorando, ad ecclesiam fratrum sancte Marie de Carmelo pro festo sancti Martini honorando, quod festum est de mense novembris, cum hac conditione, quod quilibet doctor solvat solidos tres et quilibet scolaris solidum unum, sub penis impositis de modo honorandi festum sancte Marie et sancti Petri; et quod tunc accipiantur duo doctores et non plus, scilicet unum pro Rectore et aliud pro Priore Collegii.

### **Quod nullus possit gaudere beneficijs seu commodo universitatis nisi iuraverit servare statuta – Rubrica CVIII**

[297] Item statuerunt quod aliquis scolaris cuiuscumque facultatis, aut quivis alius ut scolaris se gerens, non possit nec valeat gaudere beneficio aliquo, seu commodo Universitatis predictae, seu statutorum ipsius, aut per ipsam Universitatem vel Rectorem ipsius aut statuta dicte Universitatis defendi, nisi sit scolaris iuratus, qui iuraverit servare statuta Universitatis et obedire Rectori in licitis et honestis, ut supra. Decernentes insuper quod aliquis doctor seu professor alicuius alterius scientie quam medicine vel artium, non possit pro aliquo vel contra aliquem procurare vel advocare aut sollicitare palam vel secreta, nisi iuratus fuerit servare statuta et obedire Rectori, ut supra, salvo quod in causa, seu causis, litibus seu questionibus ipsius vel suorum licite esse, advocare et procurare possit, pena cuiuslibet advocanti, procuranti, sollicitanti, et pro qualibet vice, quadraginta solidorum bon., quam penam solvere teneatur quilibet contrafaciens infra tertiam diem postquam dictam penam incurrerit, sub pena privationis. A qua privatione restitui non possit, nisi dicta pena soluta. Et quilibet possit accusare et denunciare, et habeat medietatem condemnationis. Et Rector quilibet, qui pro tempore fuerit, possit et teneatur procedere ad petitionem cuiuscumque et delinquentes condemnare, sub pena centum solidorum bon. eidem Rectori, eidem per Syndicos auferenda in fine sui officii.

## De officio et salario notarij universitatis – Rubrica CIX

Item cum provisum et statutum sit quod Universitas predicta debeat habere unum notarium expertum et intelligentem ac de societate notariorum civitatis Bononie, et per experientiam sic sufficiens et expertus in officio et arte predictis ut expedit, statuerunt quod notarius, qui fuerit electus per Rectorem et Consiliarios et confirmatus per Universitatem, sit et esse intelligatur notarius Universitatis predictae. Offitium autem ipsius sit ut inferius denotatur et aliter ut per statuta reperietur provisum. Teneatur namque dictus notarius omnibus et singulis diebus et horis, quibus dominus Rector seu Congregator et Consiliarij reddere debe[n]t jus, et alijs quibuscumque diebus in quibus dictus dominus Rector jus reddere vellet, venire et stare ad stationem generalium bidellorum quamdiu Rector seu Congregator et Consiliarij predicti steterint. Et omnia et singula acta causarum quarumcumque actandarum coram eis vel altero eorum, ac etiam precepta, interlocutiones, comminationes, sententias privationis, fiendas seu fienda per eos vel alterum eorum, bene et diligenter, iuxta verum, scribere in uno librizolo ordinate et clare, recipiendo de ipsis scripturis moderatas solutiones secundum formam et modum inferius denotatum. Teneatur etiam legere per scholas, temporibus et horis statutis, omnia et singula statuta Universitatis de quibus provisum seu statutum est, per scholas legi debere. Item teneatur et debeat scribere, et, si opus fuerit, in publicam formam redigere, omnes et singulas scripturas, acta et instrumenta, quandocumque facta seu fienda, in commodo, seu ad commodum Universitatis predictae, seu ipsam Universitatem quomodolibet tangentium, aut que ipsam Universitatem seu eius commodum tangere viderentur, etiam absque eo quod pro predictis vel aliquibus ex eis, possit aut valeat aliquod salarium vel mercedem habere seu percipere. Teneatur etiam interesse omnibus et singulis congregationibus [298] fiendis de Universitate seu Consiliarijs pro aliquibus factis tangentibus, seu que tangere viderentur Universitatem predictam. Item honeste, pacifice et quiete recipere et tractare omnes et singulos scholares Universitatis predictae et quoscumque alios Universitatis commoda seu honores quomodocumque participantes. Teneatur etiam obedire domino Rectori qui nunc est et omnibus, qui pro tempore fuerint, durante toto eorum officio, in licitis et honestis, et a quibuscumque prohibitis seu illicitis et inhonestis abstinere. Teneatur etiam interesse in sancto Petro quociens aliquis de Universitate predicta, aut eidem Universitati suppositus, conventuaretur vel publicaretur in scientia medicine, vel artibus, vel aliqua dictarum scientiarum et artium. Et de conventu et publica ac sacramento prestito domino Rectori per dictum talem conventuandum et publicandum conficere publicum instrumentum. Item facere et observare omnia et singula statuta seu provisiva ipsum facere et observare debere. Verum quia humana natura non patitur quemquam in eodem statu continue permanere, et posset casus contingere quod dicti notarij copia haberi non posset, statuerunt quod in casu et casibus supradictis, durante impedimento quomodocumque, tam ratione persone ipsius notarij, quam alia quacumque de causa, per quod aut propter quod dictus notarius dictum officium exercere non posset, possit et eidem notario liceat per quemcumque voluerit idoneum substitutum servare et adimplere ea ad que tenetur et debet ratione dicti officij. Quem substitutum ex nunc voluerunt esse et elegerunt ad predicta omnia et singula que per dictum notarium fieri deberent et possent, illum quem dictus notarius duxerit eligendum, per dictum notarium eligendus et nominandus ac substituendus; et subrogandus, aut alius quicumque per eum subrogandus, substituendus vel nominandus, omnia et singula fienda et disponenda per dictum notarium facere, exercere, prosequi explicare et terminare possit et debeat. Que omnia et singula disposita de dicto notario supradicto et de ipso, seu eius officio, in ipso et de ipso substituendo et subrogando, ipsius notarij functione et alijs per ipsum notarium eligendis, nominandis et substituendis vel subrogandis, disposita, statuta, provisiva et repetita esse intelligantur, durante

impedimento predicto. Scripturas autem et acta causarum et alia facientia ad commodum Universitatis teneatur ipse notarius et eius substitutus tenere ad stationem generalium bidellorum in una capsula, nisi iusta causa subesset, que sacramento ipsius notarij probetur. Ac etiam teneatur omni ebdomada bis accedere ad domum domini Rectoris et ab eo querere si aliquid vult et si expedit sibi aliquid, pena dicto notario et cuilibet eius substituto duorum solidorum bon. pro vice qualibet, Universitati applicanda, salvo semper statutis aliter disponentibus. Statuerunt etiam quod dictus notarius scrupitiniari possit et debeat inter Consiliarios et in Universitate predicta, secundum quod scrupitiniari possunt et debent generales bidelli dicte Universitatis. Et quod statutum est de bidellis predictis et circa eos scrupitiniandos, et de modo, forma, tempore, in omnibus et per omnia statuta sint et intelligantur esse de dicto notario quam tenus ad ipsum et eius scrupitinationem tempus et modum possunt adaptari, salvo quod bidellorum vel alterius eorum presentia non requiratur nec sit. Et quia officium suum nemini debet esse dampnosum, et, cum labor est in dampno, mortalis crescit egestas, statuerunt quod dictus notarius aut eius substitutus, eo casu quo per substitutum serviretur, habeat et habere debeat ab Universitate predicta, et de ipsius Universitatis pecunia solvi possit et debeat per Camerarium dicte Universitatis eidem notario, si habuerit tunc vel penes eum fuerit de pecunia Universitatis, alias per Massarium seu Depositarium dicte Universitatis, omni anno sex libras bon., scilicet medietatem in festo Paschatis resurrectionis, et aliam medietatem in festo sancti [299] Michaelis mensis septembris cuiuslibet annj, sub pena decem librarum bon. ipsi Camerario et dicto Depositario pro vice qualibet, ipsi Universitati applicanda et per ipsum Rectorem exigenda infra octo dies postquam eam inciderint, sub pena decem librarum bon. ipsi Rectori, eidem per syndicos in fine suj officij effectualiter exigenda. Et nichilominus teneatur dictus Camerarius, in casu predicto quo haberet vel penes [eum] esset, de pecunia Universitatis, alias dictus Depositarius Universitatis solvere dicto notario vel eius substituto, dictas quantitates pecunie, occasione dicti salarij percipiendj. Item habeat et habere debeat pro quolibet artium examine solidos vigintiquinque et totidem pro publica vel privata. Pro examine vero medicine solidos duodecim cum dimidio, et totidem pro publica vel privata. De scripturis autem et actis causarum per eum scribendis solutiones a partibus recipiat ut inferius est notatum, videlicet de qualibet citatione sex denarios, de presentatione sex denarios, de porrectione libelli sex denarios, de responsione petitionis, negando vel confitendo, quatuor denarios, de termino dato ad probandum si deberet dari pignus per partes sex denarios, de termino dato ad deponendum pignus sex denarios, de precepto et termino statuto ad solvendum solidum unum, de iuramento cuiuslibet testis sex denarios, de citatione cuiuslibet testis quatuor denarios, de iuramento calumpnie sex denarios, de qualibet carta attestationum seu dictorum testium condendorum scripta duos solidos, de exemplatione facta parti solidum unum de qualibet carta, de porrectione capitulorum seu positionum sex denarios, de responsione facta positioni duos denarios, de qualibet positione a ponente et tantumdem a respondente, de apertura processus a qualibet partium sex denarios, de pronuntiatione sententie quantitatis trium librarum et abinde infra quatuor solidos, et si fuerit a tribus libris supra quatuor solidos bon. a qualibet parte si sine consilio feratur, si autem cum consilio, habeat et habere debeat tantam quantitatem pecunie quanta fuerit medietas eius quod habuerit Sapiens assumptus ad consulendum in causa; de bulleta librorum extrahendorum de civitate solidos duos si fuerit scolaris, et si fuerit doctor vel licentiatus solidos quatuor. De alijs vero instrumentis, si fuerit quantitas quindecim librarum bon. et abinde infra, habeat et percipere possit sex denarios pro qualibet libra, et si fuerit abinde supra usque ad triginta libras quatuor denarios pro qualibet libra; de triginta vero libris abinde supra, quantacumque fuerit quantitas, tres denarios pro qualibet libra, de dando nomen in publicam formam quod unus sit scolaris et conscriptus in matricula scolarium solidos tres, de qualibet electione danda doctoribus electis ad salaria in formam publicam solidos decem, de littera testimonialj qualiter unus est in studio solidos quindecim, de quolibet testamento doctorum et scolarium solidos vigintj, de quolibet legato quantitatis quadraginta

solidorum et abinde infra unum solidum bon., et si fuerit quantitas quadraginta solidorum et abinde supra solidos duos. Item teneatur in initio cuiuscumque Rectoris infra octio dies ipsi Rectori corporale sacramentum prestare, ultra alias in eorum offitijs iurata, quod sollicito, diligenter ac attente credentias Universitatis et alias quascumque sibi impositas et imponendas per dictum Rectorem tenebit et nemini revelabit, seu propalabit dicto vel facto, et omnia et singula statuta Universitatis tam facta quam fienda pure et sine fraude servabit, Universitatem et scolares eiusdem pro posse defendet, et omnia et singula faciet et explicabit que ei sunt commissa vel committerentur in futurum per aliqua statuta universitatis predictae. Statuentes insuper quod quilibet scholaris Universitatis predictae teneatur et debeat omnia et singula instrumenta que eis occurrerint fienda, que facere confici in eorum voluntatem esset, fieri et scribi facere Universitatis notario antedicto, vel alteri qui ipsum [300] representaret; qui notarius vel eius substitutus solutionem recipere possit secundum formam traditam ut supra. Et si predicti non habebunt de pecunia Universitatis, tunc predicti non teneantur ad solutionem dicti salarii ipsi notario.

### **De officio et salario sapientis et syndici universitatis – Rubrica CX**

Quoniam decens et honorabile, utile et expediens est Universitati predictae habere unum Sapientem, qui Rectorem et Consiliarios consulat quociens opportunum foret, et qui lites per Universitatem peragendas, seu [que] contra ipsam peraga[n]tur tueatur et defendat, factaque ipsius Universitatis ac scholarium eiusdem, quociens opus fuerit, exponat et narret, tam coram domino Capitaneo eiusque Vicario seu domino civitatis, quam coram domino Potestate civitatis predictae, ceterisque officialibus civitatis predictae ac dominorum antedictorum, et per quem fiant et explicentur omnia et singula, que per ipsum fieri sunt provisiva et statuta in presentibus statutis, officium autem ipsius Sapientis in casu predicto sit ut infra subicitur, ac etiam in omnibus super omnibus et singulis eidem Sapienti aut eius officio quomodolibet per statuta Universitatis presentia committuntur, aut in futurum perlegittime fienda committentur, videlicet quod teneatur ipse Sapiens, quotiens requisitus fuerit ex parte domini Rectoris aut domini Congregatoris et Consiliarios, ire et se presentare ad stationem generalium bidellorum, et ibi esse cum dicto domino Rectore et Consiliarijs, ipsisque consilium super his que peterentur, cum omni fide prestare pro bono statu scholarium et studij antedicti, ac cum ipsis domino Rectore et Consiliarijs tam ad dominum Potestatem civitatis bon. et ceteros officiales pro omnibus et singulis que expedire viderentur pro Universitate predicta et factis ipsius accedere quociens opus esset, litesque, causas et questiones quascumque, quas actitarij contingeret pro ipsa Universitate seu contra ipsam, sollicito tueri ne defendere iuxta posse. Licentiamque armorum pro domino Rectore et suis familiarijs ac bolitas pro dictis armis iuxta posse procurandi, scolares dicte Universitatis placibiliter tractare, ac tempore syndicus cuiuslibet Rectoris cum syndicis interesse, videre, perquirere et examinare qualiter Rector, de cuius syndicato queretur, se gesserit, nec non facere et curare iuxta posse quod statuta Universitatis servantur, et super questionibus et causis super quibus ad consulendum assumuntur per dominum Rectorem seu Congregatorem et Consiliarios, suum consilium exhibere et dare, sibi satisfacto competenter de suo salario et labore. Quas lites, questiones et causas consulendas, ac etiam expensas predictarum litium et questionum taxandas, prefato syndico Rector quilibet committere teneatur, sub pena ipsi domino Rectori centum solidorum bon. pro qualibet vice, ac etiam omnia et singula que putaverit utilia et necessaria ipsi Universitati et scholaribus ipsius cum omni diligentia et sollicitudine procurare, et generaliter omnia alia facere et expedire, que officio Sapientis et Syndici sunt commissa vel in futurum committerentur per aliqua statuta dicte Universitatis. Et quod omnia et singula statuta seu provisiva, statuenda seu providenda de Sapiente Universitatis predictae, seu pro ipso vel circa ipsum aut eius officium, vendicent sibi locum, et statuta esse intelligantur et provisiva in

personam et de persona alterius Sapientis, in casum in quem ipsius copia vel comode haberi non posse seu deficeret. Et quia decens est unumquemque de suis laboribus premiari, statuerunt quod dictus Sapiens habeat et habere debeat quolibet anno pro suo salario et labore, de pecunia Universitatis predictae a Depositario seu Massario [301] dicte Universitatis, qui de pecunia dicte Universitatis haberet, octo libras bon., videlicet medietatem in festo Paschatis resurrectionis dominij nostri yesu christi et aliam medietatem in festo nativitatibus eiusdem. Quas solutiones quilibet predictorum facere teneatur cum fuerit requisitus, sub pena quadraginta solidorum bon. Universitati applicanda. Et nichilominus habeat et habere debeat pro quolibet examine in medicina vel alia scientia solidos decem bon., et pro publica vel privata totidem, et etiam unum biretum et cyrothecas. Si autem predicti non habuerint pecuniam de Universitate, quod tunc predicti non teneantur ad solutionem dicti salarij predicti Sapientis. Et quod ipse Sapiens, et ad eius requisitionem Rector et Massarius predictj, seu alter qui pro eo fuerit, teneatur ei facere rationem de introitibus et expensis Universitatis.

### **De electione statutariorum et eorum officio – Rubrica CXI**

Item statuerunt et ordinauerunt quod presentia statuta et contenta in eis, debeant durare viginti quinque annis, et quod antea mutari, corrigi, tolli, cassari, innovari aut de eis aliquid diminui non possit, nisi quatenus liceret ex forma aliquorum statutorum. Et quod in vigesimo quinto anno de mense decembris, scilicet ante vigiliam sancti Thome apostoli per quatuor dies, eligantur quatuor probi et boni viri, quorum quilibet saltem tribus |annis| ad minus studuerit Bononie in studio et scientia medicine, per Rectorem et Consiliarios qui pro tempore fuerint, etiam si dicto tempore vel aliqua parte eius privatio, seu studij interdictum fuisset. Quorum de natione lombardorum eligantur tres et de qualibet alia natione eligantur duo, quj statuarij nominentur et sint. Et cum virtus statutorum dependeat a compositoribus et compilatoribus eorundem, ad hoc, ut semper meliores ad tale officium assumantur, statuerunt quod in electione talium statuariorum talis ordo servetur, quod, tempore antedicto quo fieri debet electio de dictis statuarijs, quilibet Consiliarius, sub virtute prestiti iuramenti, debeat nominare unum, quem crediderit meliorem, quj non sit de ipsis Consiliarijs, prius sacramento prestito Rectori quod nominabit eum, quem crediderit meliorem et sufficientiorem ad talem officium exercendum, quo nominato, fiat partitum per dominum Rectorem inter alios Consiliarios cum fabis albis et nigris, et aliter non possit fieri partitum, quod, si aliter fieret, nichil valeat. Et si talis nominatus fuerit approbatus per maiorem partem Consiliariorum, et postea alius Consiliarius nominet alium et scrupulinetur et fiat in omnibus et per omnia ut supra. Et si aliter fieret electio quam servata forma predicta, non valeat; qua electione et approbatione facta, ut supra, dominus Rector teneatur facere publicari sic electos, et ab eisdem et a quolibet eorum tale sacramentum exigere, quod bene et legaliter, cum omni sollicitudine et diligentia, pro conservatione et augmentatione studij medicine ad artium et scoliarium in dictis scientijs Bononie studere volentium et ad honorem et bonum statum ipsius Universitatis et scoliarium se congregabunt in uno ydoneo loco in domibus ecclesie beati Francisci, vel statione generalium bidellorum dicte Universitatis, et ibi, debitis horis, ibunt et stabunt sollicite et attente donec dicta statuta fuerint expleta. Facientque statuta et ordinamenta de novo que putaverint facienda, reliqua corrigent, supplebunt et emendabunt, cassabunt, et emendabunt aut vetera confirmabunt prout eis vel maiorj parti eorum pro utilitate et commodo Universitatis predictae utilius putaverint convenire, pena ipsi Rectori, qui in predictis vel aliquo predictorum negligens fuerit, viginti quinque librarum bon., et nichilominus quod per eos aliter electos et iuratos quam modo et forma predictis nichil valeat ipso iure, et pro non facto habeatur reputetur, et sit. Statuarij [302] autem predicti postquam electi fuerint, teneantur, quam citius commodo poterint, per alterum ex bidellis generalibus Universitatis per omnes

scolas medicine et artium scholaribus in scolis existentibus facere proclamari per scholas, quod si esset aliquis, qui sciret vel putaret aliquid quod esset vel esse posset utile Universitati vel scholaribus antedictis, aut aliquid quod esset in dictis statutis fiendis ponendum, detrahendum aut fiendum ad commodum ipsius Universitatis, in scriptis illud porrigere teneatur et possit ipsis statutarijs vel alteri eorum examinandum, approbandum vel improbandum per eos prout putaverint convenire. Teneantur etiam incipere se congregare dicti statutarij, ut supra, omnino in dicto festo sancti, Thome pro dictis statutis revidendis et alijs faciendis, que ut supra sibi commissa sunt in eodem loco, prout voluerint, in domibus seu statione antedictis. In qua congregatione semper esse debeant Sapiens et Notarius Universitatis predicte una cum statutarijs antedictis et non alius vel alia persona preter predictos, singulis diebus et horis debitis et decentibus. Et sic congregatis statutarijs predictis, vel maiori parte eorum, per notarium predictum in presentia dicti Sapientis sibi legi faciant, incipiendo a capite statutorum presentium, quodlibet statutum per se clare et aperte et extense usque ad finem. Et si ipsis omnibus vel maiorj parti eorum Congregatorum, ut supra, aliquid addendum vel declarandum videbitur, cassandum, immutandum aut de novo faciendum, illud fiat. Et si expediens fuerit, facto partito inter eos, et sic successive, procedatur per ordinem de statuto in statutum usque ad finem dictorum statutorum. Que omnia et singula ita sollicite et attente facere teneantur predicti, quod omnia, quantum ad predicta, sint expleta per eos infra quindecim dies bona fide, sine malicia, dolo aut fraude. Prohibentes alium vel alios quam predictos esse vel esse posse in dicta congregatione quoquo modo, tempore quo predicta fierent per predictos, pena cuilibet existenti et cuilibet statutariorum patienti quadraginta solidorum pro quolibet et qualibet vice per dominum Rectorem auferenda. Et quilibet possit accusare palam et secrete et habeat tertiam partem condempnationis, seu pene predicte et in credentia teneatur. Statuentes etiam quod aliquis statutarius loco sui alium subrogare non possit, et dominus Rector, qui pro tempore fuerit, possit, teneatur et debeat, sub pena decem librarum bon., eidem per syndicos auferenda sindicatus tempore, compellere et cogere remedijs opportunis predictos statutarios ut predicta faciant cum effectum. Ad revidendum autem et ad auscultandum statuta predicta et ad faciendum ea proclamari per scholas pro publicatis et publicari, habeant statutarij predicti, elapsis dictis quindecim diebus, alios quindecim dies. Que proclamatio infra dictos alios quindecim dies per omnes et singulas scholas, tam medicorum quam artistarum et gramatice, hora qua scholares erunt in scolis omino fieri debeat. Quam proclamationem per alterum ex bidellis generalibus fieri facere teneatur dominus Rector ad petitionem dictorum statutariorum quociens fuerit requisitus, sub pena vigintiquinque librarum bon., ipsi domino Rectori et cuilibet statuario, qui in predictis vel aliquo predictorum negligens fuerit, centum solidorum bon. pro qualibet vice. Et quilibet possit accusare et denunciare, ac teneatur sub virtute prestiti iuramenti, et habeat tertiam partem condempnationis, et in credentia teneatur ut supra. De quibus statutis fieri faciant dicti Rector et statutarij tres copias in cartis pecudinis de bona littera, bene correctas et examinatas, quarum una stare debeat in statione generalium bidellorum cum una cathena in muro murata, ita quod nullo modo inde amoveri possit, ut de eis per omnes volentes possit copia haberj, pena cuilibet amoveni de loco predicto decem librarum bon. dicte Universitati applicanda; alia vero penes Rectorem, qui pro [303] tempore fuerit, et alia penes Universitatis Sapientem. Et ea que firmata, statuta, facta, addita, diminuta seu innovata fuerint in predictis per predictos, aut maiorem partem ipsorum, modo et forma predictis, valeant et teneant, et habeant plenum robur, et statuta et pro statutis ipsius Universitatis sint et debeant ab omnibus observari, nec possint corrigi, diminui vel suppleri, cassari vel infringi, aut aliquo modo eis vel alicui eorum derogari per aliquem vel aliquos, nisi modo et forma predictis de vigesimo quinto anno in vigesimum quintum annum. Statuentes insuper quod nullus possit aut valeat contra presentia statuta, vel aliqua in eis contenta, aliquid dicere, proponere vel arengare aliquo modo sub pena perpetue privationis et quinquaginta librarum bon. pro vice qualibet, quam ipso facto incurrat, et nichilominus non valeat ipso iure quod contrafieret, salvis semper in

predictis et quolibet predictorum statutis aliter disponentibus, et salvo quod in casibus, in quibus per presentia statuta non foret provisum, possit per Universitatem et maiorem partem Universitatis provideri et disponi, ac super eis proponi et arengari, predictis in aliquo non obstantibus.

### **De pena non observantium statuta universitatis – Rubrica CXIJ**

Item statuerunt et ordinauerunt quod omnes et singuli scolares Universitatis predictae, et omnes et singuli obediens, aut suppositi ipsi Universitatj ac doctores scientie medicine et artium studij bononiensis actu legentes, et alij qui volunt seu intendunt ab Universitate seu ex ea commodum aliquod reportare, teneantur et debeant servare statuta presentia et fienda in futurum et obedire domino Rectori Universitatis eiusdem in licitis et honestis sub virtute prestiti iuramenti et sub pena et penis in statutis contentis, si in eis aliqua expresse et specificate reperirentur, alias arbitrio domini Rectoris imponendis et exigendis. Quas penas ipse Rector et quilibet alius, qui pro tempore fuerit, exigere et exigere facere teneatur. Et recusantes solvere, privare suo arbitrio; a qua privatione privatus restitui non possit nisi penam solverit et ultra Universitati viginti solidos bon.

### **De modo et forma servanda in correctione, diminutione et detractone presentium statutorum – Rubrica CXIIJ**

Quoniam contingere solet propter casuum occurrentiam et factorum necessitatem aliquando infra tempus viginti quinque annorum aliquando oportere aliquid expressum in statutis, cassari, corrigi, emendari, aut eis derogari in totum vel aliqua eius parte, et statutum sit quod predicta statuta durare debeant usque ad viginti quinque annos secuturos, nec de modo corrigendi, cassandi, derogandi seu emendandj sit provisum et ipsa statuta cum maxima deliberatione sint facta, et sic in eorum vel alicuius eorum derogatione maxima deliberatio et ponderatio requiratur, statuerunt quod aliquid ex dictis statutis in totum vel pro parte usque ad terminum viginti quinque annorum predictorum non possit cassari, corrigi, mutari, tolli, emendari, aut in aliquo derogari; si tamen casus contingeret et necessitas urgeret predicta vel predictorum aliquid faciendi, possit fieri, modo tantum et ordine infrascriptis servatis, et non aliter. Quia casus contingens primo debeat examinari per dominum Rectorem et Sapientem Universitatis, et si per ipsos ambos concorditer deliberatum fuerit utile predicta vel aliquid eorum fieri, tunc Rector teneatur congregari facere Congregatorem et omnes et singulos Consiliarios et dictum Universitatis [304] Sapientem, quod debeant personaliter sine aliquo substituto interesse ad stationem generalium bidellorum. Quibus congregatis et ibi existentibus, notario Universitatis idem dominus Rector proponat illud quod per ipsum et Sapientem predictum deliberatum fuerit, et in scriptis propositum reducatur per notarium antedictum, et per dictos Consiliarios, Congregatorem et Sapientem, absente dicto Rectore, predicta deliberentur saltem per duos dies. Quibus elapsis, predicti Congregator, Consiliarij et Sapiens, i[ter]um congregentur, et si per predictos omnes Congregatorem, Consiliarios et Sapientem, consilio inter eos cum fabis albis et nigris celebrato, absente Rectore, legitime fuerit approbatum utile fore quod deliberatum esset per Rectorem et Sapientem, ut supra, tunc quilibet ex dictis Congregatore et Consiliarijs teneatur in scriptis dare notario Universitatis Sapientes

duos de melioribus sue nationis, alios ab ipsis Consiliarijs, quorum nomina sub credentia, sub virtute sacramenti per eos prestandi, tenere debeant et neminē publicare, et ipsis Sapientibus post duos dies ad stationem predictam convocatis, ex parte Consiliariorum et eorum Congregatoris, ac congregatis una cum Sapiente et notario Universitatis, absente Rectore, notarius ipsis Sapientibus legat id quod deliberatum fuerit, ut supra, et scriptio celebr[at], ut supra, si placuerit ex quinque partibus quatuor partibus dictorum Sapientum et Sapienti id quod deliberatum esset, ut supra, teneatur dominus Rector congregari facere Universitatem, in qua congregata, possit Sapiens Universitatis interesse, et interesse debeat. In qua Universitate congregata Rector teneatur proponere id quod deliberatum et firmatum foret, et, auditis arengare seu consulere volentibus super predictis, facere partitum ad fabas albas et nigras; et si, scriptio legitime celebrato, placuerit quatuor partibus ex quinque partibus Universitatis et scholarium ipsius illud quod firmatum foret, tunc illud quod firmatum esset, et in eo tantum et quantum ad illud, valeat et teneat, et inviolabiliter observetur, dumtamen pro predictis Sapientem et Consiliarios nec Universitatem aliquis Rector convocare non possit a kalendis mensis iunij usque ad kalendas mensis novembris, nisi fuerit expediens pro Universitate. Et quod aliter, vel alio modo, tempore, modo, forma et in ordine predictis seu super predictis procedi non possit. Et si quid aliter fieret, non valeat ipso iure. Et nichilominus Rector, qui pateretur predicta fieri alias quam ut superius dictum est, penam incidat ipso facto viginti quinque librarum bon. Congregator autem Consiliariorum penam incidat decem librarum bon. Et quilibet Consiliariorum penam incidat centum solidorum bon. Universitati applicandam et cum effectu quibuscumque remedijs exigendam, salvo semper statutis aliter disponentibus.

### **Que statuta legi debeant per scholas – Rubrica CXIII**

Item statuerunt, ut ignorantia non excuset [ali]quem, et cum oporteat quedam statuta legi per scholas ut omnibus pateant, quod hec statuta in presenti contenta statuto legantur, et legi debeant per scholas, primum *de pena eorum qui se absentant propter evitare officium Rectoratus*, secundum *de electione eorum qui debent denunciare doctores*, tertium *de inchoatione studij et festivitibus celebrandis*, quartum *de modo et ordine servando in disputationibus*, quintum *de modo arguendi ad quamlibet questionem*, sextum *de questionibus de quolibet disputandis per doctores medicine*, septimum *de questionibus disputandis per doctores artium*, octavum *quod novi scolares teneantur* [305] *se presentare coram domino Rectore*, nonum *de matricula scholarium medicine quolibet anno fienda*, decimum *[de matricula] scholarium artistarum quolibet anno fienda*, undecimum *de pena ludentium ad ludum taxilorum*, duodecimum *quod quilibet teneatur audire pacifice precepta Rectoris*, tertiumdecimum *de modo et forma servandi festum sancti Petri et sancte Marie*, et generaliter quodlibet aliud statutum quod cavetur legi debere per scholas. Item quod dicta statuta et omnia alia statuta dicte Universitatis legantur et legi debeant secundum beneplacitum Rectoris, qui pro tempore fuerit, pena notario pro quolibet statutorum obmisso solidorum duorum bon.

### **De privilegio concesso per universitatem medicorum et artistarum notario et bidellis generalibus universitatis predictae – Rubrica CXV**

Item statuerunt, ordinaverunt et firmaverunt pro honore et bono statu Universitatis predictae, quod notarius et bidelli generales Universitatis antedictae, qui pro tempore fuerint, possint, teneantur et debeant, et eis sit licitum, portare arma per civitatem Bononie, burgis et suburgis dicte civitatis sine aliqua pena. Item quod predicti notarius et bidelli generales Universitatis predictae, qui pro tempore

fuerint, non possint molestari neque aggravari pro aliquibus factionibus et oneribus Communis Bononie, et sint et esse intelligantur a predictis omnibus exempti penitus et immunes. Et quod predicti notarius et bidelli generales Universitatis predictae non possint conveniri coram aliquo iudice pro aliqua re vel facto, nisi coram domino Rectore dicte Universitatis, qui pro tempore fuerit, et gaudeant in omnibus et per omnia beneficijs dicte Universitatis.

### **De his qui possunt dare vocem in universitate, et quibus est prohibitum dare vocem et ad scripturinium admittj – Rubrica CXVJ**

Item pro meliori concordia studij et pro maiori utilitate, statuerunt quod quilibet scholaris, qui audiverit uno anno medicinam, physicam de mane, hic vel alibi in studio generali, jta quod Bononie audiverit tribus mensibus continuis, computando a die electionis fiende, non interpolando in audiendo aliam scientiam, dimittendo audire physicam de mane in predicto anno et mensibus, exceptuando per tempora vacationum, possit dare vocem in eligendo doctorem artium et medicine. Et hoc semper intelligendo tam de scholaribus sumptibus suis viventibus, quam de viventibus sumptibus alienis. Et dico doctorem artium, si in ipsis novit, si autem non novit, in ipsis non possit dare vocem cum nullus possit esse verus iudex eorum que non novit. Item statuerunt quod quilibet scholaris, tam vivens expensis suis quam alienis, qui audiverit duobus annis loycam et anno uno phylosophyam hic vel alibi, in studio generali et Bononie audiverit tribus mensibus phylosophyam, computando eos a die electionis fiende, continuis ut supra, possit dare vocem ad loycam, phylosophyam, rethoricam et astrologiam. Item statuerunt quod quilibet scholaris, tam vivens expensis suis quam alienis, qui audiverit duobus annis loycam in studio generali, et Bononie tribus mensibus continuis ad minus, computando eos a die electionis fiende, ut possit dare vocem ad eligendum sibi doctorem in loyca et rethorica. Item quod quilibet scholaris qui audiverit duobus annis rethoricam in studio generali, et Bononie tribus mensibus continuis, computando a [306] die electionis fiende, ut supra, possit dare vocem ad eligendum doctores in rethorica. Item statuerunt quod quilibet scholaris, tam vivens expensis proprijs quam alienis, qui potest dare vocem ad eligendum doctorem in aliqua facultate, ut dictum est supra, possit dare vocem ad eligendum Rectorem, facta tamen limitatione rethoricorum, ut statim patebit infra. Item statuerunt quod de scholaribus rethorice, qui solum possunt dare vocem in rethorica, tantum duodecim possint dare vocem in eligendo Rectorem. Et isti duodecim debeant eligi solum per illos qui possunt dare vocem in Rethorica, ordine tamen attento, quod illj de natione lombardorum, qui possunt dare vocem in Rethorica eligant de seipsis tres de provectionibus, quos tres putaverint meliores, et illi de natione ultramontanorum alios tres, et sic ultra discurrendo per nationes. Item statuerunt quod in electione Syndicorum talis ordo servaretur, videlicet quod viventes expensis suis possint eligere tres Syndicos, et quod viventes expensis alienis possint eligere unum de scipsis, semper intelligendo de illis scholaribus medicis qui possunt dare vocem in eligendo Rectorem; ita tamen quod talis sit antiquior de eis in medicina physica. Item quod in omnibus alijs, exceptis supradictis, serventur statuta nostra que modo sunt.

### **Conclusio statutorum – Rubrica CXVIJ**

Quoniam omnia et singula statuta et ordinamenta in presenti volumine contenta, sunt visa et deliberata solempniter ex seduli industria, et pervigili auxilio omnipotentis domini nostri yesu christi et gloriose Marie, matris eius, ad terminum et finem prosperum sunt deducta, ideo ad ipsorum conservationem

perpetuam et bonum statum Universitatis medicorum et artistarum et totius studij et scolarium dictarum scientiarum civitatis Bononie, ne ex his vel ipsorum aliquo aliqua contrarietas, obscuritas vel dubium insurgere possit, sed omnia recte intelligentibus sint dilucida et aperta, utile et quasi necessarium esse dignoscitur ipsa statuta et ordinamenta certo et indubitato fine concludere. Statuerunt itaque et ordinauerunt quod verba presentium statutorum in quolibet numero prolata in quolibet alio numero prolata intelligantur, si casus in alio numero contingere possit vel contingat per idem, ac si ibidem forent adiecta verba et posita cuiuslibet numerj. Et verba prolata de singulis, vel uno, vel pluribus intelligantur prolata de Universitate vel Collegijs, si casus ille, positus de uno vel pluribus, locum habere possit sine pravo vel absono intellectu in Universitate et Collegijs; et quia presentia statuta in qualibet parte suj debeant intelligi et seruarij secundum verum, sanum et rectum intellectum sine glosatione, subauditione vel interpretatione, per quam vel ex qua absonus vel absurdus intellectus aut pravus insurgeret. Statuentes insuper quod omnia et singula statuta, in hoc contenta volumine, in qualibet eorum parte valeant et teneant et habeant plenum robur et debeant observari et manuteneri usque ad viginti quinque annos proxime secuturos, et post quamdiu nova statuta fuerint compillata et approbata per dominum Rectorem, Congregatorem et Consciliarios Universitatis predictae, et per omnes et singulos scolares Universitatis ac omnes et singulos officiales et quoscumque alios Universitatis predictae suppositos. Et quod prevaleant omnibus et singulis statutis alijs, que presentibus statutis in aliquo obviarent seu contradicerent, cassantes etiam omnia et singula alia statuta, provisiones et ordinamenta, que presentibus statutis contradicerent vel obviarent, que de cetero sint vana et cassa et nullius efficacitae vel valoris, et nullus eis de cetero uti possit. Statuentes etiam quod nullus audeat dicere, proponere [307] arengare, allegare vel conscribere vel consulere aut scribi facere quod hec statuta non valeant, aut aliqua pars ipsorum, aut quod hec statuta non debeant observari ac executioni et effectui demandari, et quod pro statutis et ordinamentis Universitatis predictae debeant observari ac executioni et effectui demandari. Et quod quocienscumque in futurum contingeret scribi, statui, reformari quod statuta vel ordinamenta innovarentur et innovata intelligantur vel essent, vel de novo fierent, intelligatur semper ex talibus verbis, vel similibus, dictum, scriptum seu reformatum vel statutum de statutis in hoc contentis volumine, et si aliquis in aliquo contradixerit, venerit vel fecerit his vel alicui ex his, que presentibus statutis et statutorum conclusione sunt statuta et ordinata, vel omnia et singula in his statutis et statutorum conclusione contenta non observaverit, siquidem fuerit Rector vel Congregator Consciliariorum, penam qui contrafecerit quinquaginta librarum bon. incurrat. Et si fuerit Consciliarius, penam viginti quinque librarum bon., si autem scolaris vel quivis alius Universitati suppositus, penam viginti librarum bon. eis et cuiuslibet ipsorum, ipso facto, de facto auferenda et Universitati applicanda in casibus supradictis et quolibet eorum, exigenda in quolibet casuum predictorum per Sapientem Universitatis omnibus remedijs opportunis ad commodum Universitatis, et nichilominus quod contrafieret non valeat ipso iure. Et qui contrafecerit, seu venerit, perpetuo sit privatus, et esse intelligatur, omni commodo et honore Universitatis predictae. Et quod de presentibus statutis fieri debeant tres copie sine originali in cartis pecudinis et in assidibus ligatis et miniatis, quorum una copia stare debeat penes Rectorem, alias penes Sapientem Universitatis, et alia ad stationem et in statione generalium bidellorum cum quadam cathena in muro murata et affixa, ita quod quilibet possit legere et de eis copiam habere; nec de dicta statione moveri possint, sed dicta copia custodiri debeat et conservari murata, ut supra, per bidellos generales, pena ipsis bidellis decem librarum bon. Rector autem quilibet, finito suo officio, suam copiam alteri successori consignare et tradere teneatur, pena decem librarum bon. ei de facto auferenda.

Expliciunt statuta Universitatis Artistarum et medicorum bononiensis.

V.

**RIFORME**

**AGLI STATUTI DELL'UNIVERSITÀ DI MEDICINA E D'ARTI DEL 1405**

**PROMULGATE NEL 1442.**

**M. CCCC. XLII.**

**REFORMATIO STATUTORUM**

**PREFATIO**

[313] Cum ita sit quod in statutis Universitatis Artistarum et Medicorum Studij Bononie caveatur quod presentia statuta dicte Universitatis, et quecumque facta fuerunt, durent et durare debeant viginti quinque annis et de XXV annis in XXV annos debeant renovari, et iam multis annis preterierit tempus durationis dictorum statutorum, et Spectabilis et generosus vir Magister Anthonius de Cesena, Artium doctor et ad presens Rector dicte Universitatis, elegerit sive eligi fecerit per eius substitutum, loco et tempore in ipsis statutis requisitis, novem Sapientes et providos viros scolares dicte Universitatis, scilicet pro Nacione lombardorum Magistrum Iulianum de Cornazano de Parma, artium doctorem, Magistrum Christofforum de Ianua, Magistrum Nicolaum Fusci de Faventia, per nacione Ultramontanorum Magistrum Iohannem de Turibus de Ispania, Magistrum Anthonium de Matricalia Hispanie; pro nacione Romanorum Magistrum Iohannem de Piperno, Magistrum Petrum de Urbino, pro nacione Tuschorum Magistrum Baldassarram de Mutina et Magistrum Bartholomeum de Mutina, ad supplementum dicte nacionis Tuschorum, que ad presens est defectuosa scolarium habilium, qui prefati novem electi et nominati sunt in statutarios pro reformatione dictorum statutorum, et quibus est data vis et potestas cassandi, annullandi et de novo addendi pro comodo et utilitate dicte Universitatis iuxta formam predictorum statutorum. Et quia ipsi prefati Statutarij, diebus et horis requisitis, insimul convenientes et singula Statuta perscrutatissime examinantes, [314] tandem et in summa predicta Statuta cassaverunt, addiderunt et declaraverunt, prout in his apparet, ut infra, et hoc de et cum consensu atque consilio Egregij iuris civilis doctoris domini Petri de Marantijs Sapientis, iudicis et officialis dicte Universitatis. Que singula sunt notata per Andream de Castagnolis notarium dicte Universitatis. Supplicatur pro parte prefatorum Rectoris, Consiliariorum et Statutariorum dicte Universitatis, quatenus prefate vestre dominationes dignentur predicta et infrascripta Statuta de novo facta, et per ipsos Statutarios declarata, authenticare, confirmare et validare, ita ut in futurum habeant plenum robur et firmamentum, et hoc de gratia speciali, eo quia ex his maxima pendet utilitas et

comoditas pro bono et comodo dicte Universitatis dicti Studij Bononiensis, non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus; quorum omnium, de quibus supra scriptum est, tenor sequitur in hac forma, videlicet:

Statutarij electi et deputati etc., statuerunt contra ipsa Statuta vetera in presentia Sapientis et Sindici ac notarij Universitatis prout infra continentur, videlicet:

1.

Primo Statuerunt, quod in Statuto posito sub Rubrica Prohemij Statutorum, quod ubi ipsum Statutum dictat quod Universitas nostra habeat duos bidellos, tunc dicat disiunctive «Duos, vel unum qui sufficiat».

2.

Item in Statuto posito sub Rubrica *de Electione Rectoris per Nationes*, et in Statuto imediate sequenti, scilicet posito sub Rubrica *de modo et forma Electionis Novi Rectoris*, statuerunt quod dicta electio transeat per nationes scilicet incipiendo pro incohatatione presentium Statutorum a Natione Lombardorum, postea sequendo ad nationem Ultramontanorum, deinde ad nationem Romanorum, postremo vero ad Nationem Tuschorum, prout vetus Statutum dictat. Tamen statuerunt quod si contingat aliquam dictarum nationum esse defectuosam, scilicet eam ad quam dicta electio spectaverit, videlicet quod de ea non reperiretur persona habilis vel idonea, sive que propter legitimum causam non posset tale officium acceptare nec exercere, tunc teneantur Rector et Consiliarij nominare tres de toto corpore Universitatis et unum ex ipsis dignum in Universitate, qui magis idoneus fuerit et qui plures habuerit voces propitias, posito partito in ipsa Universitate sicut vetus statutum dictat. Et postea sequenti anno statuerunt quod dicta electio dicti Rectoratus spectet et redeat ad Nationem imediate sequentem nationem defectuosam, et sic sequendo, et a capite incipiendo, donec ipsa statuta duraverit.

3.

Item in eodem statuto ubi dictum Statutum dictat, quod electio ipsius Rectoris fieri debeat in medio mensis Aprilis, statuerunt quod dicat «Die vigesimo quarto mensis [315] Martij, in vigilia Beate Marie virginis, et quod talis electus habeat terminum trium dierum ad acceptandum, in quo termino debeat acceptasse per se vel per suum procuratorem, sub pena viginti quinque librarum bon. Nec possit renunciare sub eadem pena, nisi adduxerit legitimum causam, que approbetur per maiorem partem Universitatis».

4.

Item in eodem Statuto, ubi facit mentionem de conditionibus requisitis ad ipsum eligendum, quod ubi facit mentionem tam de scolaribus audientibus Chirurgiam quam praticantibus in ea, sive qui audiverint

vel praticaverint in eadem ab anno citra, statuerunt quod hoc intelligatur de scolariis tam audientibus, quam praticantibus mere, simpliciter et in sola scientia, seu pratica Cirugie.

5.

Item in eodem Statuto in parte ubi facit mentionem de lectoribus, qui actu legentes in quacumque scientia, non possint interesse nec dare voces in electione ipsius Rectoris, statuerunt quod insuper nec possint eligi ad offitium Rectoratus, nec ad alia de quibus fit electio in Universitate. Ita tamen quod hoc non intelligatur de his qui sunt actu legentes ex aliqua lecturarum, cuius electio spectat ad Universitatem, quos statuerunt posse interesse ad omnia et singula tractanda in Universitate, et in ea eligere, consulere et eligi, si oportuerit, dummodo dicta Universitas congregata non trascendat numerum sexaginta scolarium. In quo casu dicti actu legentes teneantur exclusi ab omni tractando in ipsa Universitate, et eandem penam incurrant, si aliquo modo interessent vel temptarent interesse, quam incurrunt ceteri actu legentes.

6.

Item in eodem Statuto statuerunt, quod post predicta, adiungatur quod ea die qua fiet electio ipsius novi Rectoris, debeat fieri nova electio Sapientis, seu sindici Universitatis, vel fieri debeat confirmatio eius, qui pro tempore fuerit, per fabas albas et nigras, posito partito in ipsa Universitate congregata ante quam recedat ab ipsa Universitate, inmediate facta electione ipsius novi Rectoris, pena cuilibet Rectori, qui pro tempore fuerit, XXV librarum bon. si contrafecerit.

7.

Item in Statuto posito sub Rubrica *De electione novorum Consiliariorum*, in parte ubi facit mentionem, quod Repetitores tam logice quam gramatice, ac etiam scolares cirugici, non teneantur et debeant offitium consiliariatus exercere propter alias occupationes que eis occurrunt, statuerunt quod hoc intelligatur de Repetitoribus publice et in scholis publicis repetentibus, et simili modo de Cirugicis qui meri et puri Cirugici reputantur.

8.

[316] Item in eodem Statuto, pro honore offitij consiliariatus, statuerunt quod addatur, quod in quolibet conventu publico quilibet ipsorum habeat unum per quantum, et quod in quolibet actu publico sedeant in honorabilibus banchis in quibus stent omnes insimul.

9.

Item in eodem Statuto in ea parte in qua facit mentionem quod eligantur duo scolares de qualibet natione, excepta natione lombardorum de qua debent eligi tres, statuerunt quod ita fiat, si reperiantur

idonei ex conditionibus requisitis in ipso statuto, aliter vero teneatur Rector, una cum Consiliarijs, eligere unum, duos vel quoscumque oportuerit ex toto corpore Universitatis, qui idonei et habiles sint ad supplendum defectum nationum, que defectuose essent, ita ut Consiliarij predicti sint semper novem numero.

10.

Item in Statuto posito sub Rubrica *De substitutione Rectoris*, statuerunt quod, ubi contingat Rectorem velle substituere quemquam in Vicerectorem, et non reperiatur aliquis idoneus de natione de qua est ipse Rector, tunc possit Rector substituere unum de toto corpore Universitatis. Et similiter, si contingerit quod electio, seu substitutio, pertineat et spectet ad Consiliarios et Universitatem, possint ipsi, Universitas et Consiliarij, eligere substitutum de toto corpore Universitatis in supplendo defectui nationis defectuose; et idem modus servetur in substitutione Consiliarij.

11.

Item in Statuto posito sub Rubrica *De privilegijs concessis Rectoribus* statuerunt quod ubi statutum dicit quod Rector pro suis conventibus et promotionibus nichil debeat solvere doctoribus Collegij nec bidellis, nec Universitati nec notarijs nec alicui alteri persone, hoc idem intelligatur explicite de Archidiacono, et notarijs et Bidellis eius.

12.

Item in eodem Statuto statuerunt, quod ubi statutum dicit quod, qui fuerit Vicerector per certa tempora debeat gaudere consimilibus privilegijs quibus et Rector, hoc intelligatur durante officio; finito autem officio non, et quem etiam teneantur doctores Collegij promovere et conventuare in utraque facultate gratis, sed ad beneplacitum ipsorum.

13.

Item in eodem Statuto statuerunt quod addatur quod quisque fuerit Rector et bene se gesserit, gaudeat in perpetuum privilegijs civium Bononie tamquam civis adventitius.

14.

[317] Item in Statuto posito sub Rubrica *De modo et forma Doctorum eligendorum ad salaria comunis Bononie*, statuerunt quod quilibet non conventuatus et electus ad aliquam dictarum lecturarum, teneatur conventuari Bononie infra sex menses, nec possit recipere aliquam solutionem sui salarij, nisi fideiubeat

se assumpturum gradum infra dictum terminum in facultate in qua electus fuerit, excepto eo qui electus fuerit ad lecturam retorice, qui non teneatur conventuari.

15.

Item in eodem Statuto statuerunt quod qui semel electus fuerit ad aliquam dictarum lecturarum et non bene et integre satisfecerit pro dicta lectura, nunquam possit eligi amplius ad eandem, nec ad aliquam tam facultatis Artium quam Medicine.

16.

Item in eodem Statuto quod, ubi Statutum dicit quod predicti doctores debeant eligi ad dictas lecturas in kalendis mensis Maij, statuerunt quod talis electio fiat inter Pascha et octavam eius ad beneplacitum Rectoris et Consiliariorum. Si vero talis electio non potuerit fieri infra dictam octavam, tunc fieri debeat prima die vacationis post immediate dictam octavam pasce, alias teneatur Congregator et consiliarij congregare et elligere sicut requiritur in veteri Statuto.

17.

Item in Statuto quodam, posito sub rubrica *De pecunia solvenda per conductos ad Salaria*, statuerunt quod, ubi dictum Statutum dictat quod ille, qui electus fuerit ad lecturam scientie Medicine per Universitatem, habeat libras centum bon., pro sua integra solutione, et ille, qui electus fuerit ad lecturam philosophie per ipsam Universitatem habeat totidem, et ille qui electus fuerit ad lecturam Astrologie habeat libras quinquaginta bon., et simili modo esplicetur de illo, qui electus fuerit ad lecturam Rectorice per ipsam Universitatem, qui habere debeat libras quinquaginta bon.

18.

Item in Statuto posito sub Rubrica *De Matricula Artistarum et Medicorum quolibet anno fienda* statuerunt quod ex istis duobus Statutis fiat unum et quod qui semel matriculatus fuerit, non teneatur amplius matriculari. Pro cuius Matricule absoluteione teneatur quilibet in introitu solvere solidos octo bon., si fuerit forensis; si vero fuerit civis, teneatur solvere solidos quinque bon., et qui matriculatus fuerit in Artibus sit et esse reputetur matriculatus in Medecina, et quod nullus gaudere possit privilegijis dicte Universitatis, nisi in dicta reperiatur Matricula. Et hoc intelligatur tam de doctoribus quam scolaribus, tam legentibus quam non legentibus, tam civibus quam forensibus, non derogando tamen aliquibus Statutis, tam superioribus quam inferioribus, et quod in dicta Matricula describantur Cives separati a forensibus.

19.

[318] Item in Statuto posito sub Rubrica de Anothomia fienda, statuerunt debere adiungi, quod quilibet Potestas civitatis Bononie, vel alter eius Locumtenens seu conservator Iustitie, ad requisitionem Rectoris et Consciliariorum, teneatur dare singulis annis duo subiecta pro Anothomia, unum masculum et unam feminam, si sibi occurrerint, et si non occurreret femella, teneatur dare duos masculos quomodocumque fieri poterit, et quod dicta subiecta sint oriunda a loco distante a civitate Bononie per treginta miliaria.

20.

Item in Statuto posito sub Rubrica *de Statutarijs eligendis*, statuerunt ubi statutum dicit quod eligantur quatuor probi viri, corrigatur et dicat *novem* sicut eius est verus intellectus.

21.

Item ad perpetuam rei memoriam et ad bonum et augmentum Studij bononiensis statuerunt quod tam Archidiaconus quam doctores Collegij Studij Bononie teneantur singulis annis promovere et conventuare duos pauperes scolares dicte Universitatis gratis et sine solutione aliqua, unum in Artibus et alium in scientia medecine, quos tam ipse Archidiachonus quam prefati doctores pauperes et valentes putaverint.

22.

Item Statuerunt quod nullus scholaris debeat solvere datium sive gabellam aliquam pro introductione alicuius rei pro victu et vestitu scholarium dicte Universitatis, quam conduci fecerint ex territorio forensi, sive hoc fuerit in principio sui Studij sive post per quodcumque tempus.

23.

Item statuerunt quod nullus doctor seu scholaris, tam civis quam forensis descriptus in matricula Universitatis Artistarum et medicorum, et qui iuraverit obedire Rectori in licitis et honestis, et quod nullus notarius seu bidellus dicte Universitatis vel quevis alia persona supposita eidem, possit nec debeat conveniri sub aliquo iudice, nisi sub Rectore dicte Universitatis pro quacumque causa civili, nisi de consensu partium et cum licentia et consensu ipsius domini Rectoris.

24.

Item in Statuto sub Rubrica *De his qui possunt dare vocem in Universitate*, statuerunt quod nullus infamis nec discolus et qui non intret continue nec [319] intrare continue reputetur, possit interesse ad eligendum

Rectorem nec aliquem doctorem ad Lecturas nec ad aliquod partitum fiendum in Universitate. Et de his omnibus ac ceteris, que huiusmodi occurrere possent, habeant Rector et Consiliarii consulere, una cum Sapiente, cum ista concernant iuris determinationem, et determinare ante quodlibet partitum fiendum; a quorum determinatione non liceat appellari.

25.

Cetera autem Statuta reperta in Statutis veteribus dicte Universitatis confirmaverunt et approbaverunt valitura hinc ad vigintiquinque annos, adiungendo omnia hec, que hic in presenti pagina descripta sunt. Statuentes ex his fieri duo volumina infra terminum trium mensium, que locentur et serventur iuxta formam Statuti sub Rubrica *de Statutarijs eligendis*, et pena ipsi Rectori sub forma dicti Statuti. Et insuper statuerunt prefati Statutarij quod Andreas quondam domini Mathei de Castagnolis, qui fuit et est notarius dicte Universitatis, sit et esse debeat perpetuo toto tempore sue naturalis vite Notarius dicte Universitatis cum salario, honoribus et oneribus hactenus observatis. A qua Universitate privari quomodolibet non possit, nisi fecerit vel commiserit causam indignam, evidentem, probabilem, et quod legitime impeditus per unum substitutum officium huiusmodi possit et valeat exercere. De qua causa privationis stetur declarationi maioris partis Universitatis, et de substitutione declarationi domini Rectoris qui pro tempore fuerit.

Habita diligenti informatione de iustitia et equitate supradictorum Statutorum et supradictarum reformationum, ipsa Statuta ac Reformationes in omnibus et per omnia confirmamus et auctoritate nostra, qua fungimur, approbamus et ratificamus, et ex arbitrio nostro autenticamus. Volumus tamen quod Statuta Comunis Bononie prevaleant dictis Statutis et aliis dicte Universitatis, non obstantibus aliquibus in contrarium facientibus.

Cervattus Siccus Locumtenens etc.

Iohannes De Fantutiis Prior subscripsi.

Que responsio emanavit de voluntate dicti domini Locumtenentis et Dominorum sedecim Reformationum Status.

Datum Bononie die tertio decimo Mensis Marcij Millesimo quadringentesimo secundo.

Nicolaus Bedorus Cancellarius.

Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, indictione xiiij, die primo mensis Augusti, tempore domini Nicolaj pape quinti.

[320] Reverendissimus dominus Bisarion Cardinalis et legatus Civitatis Bononie dedit et consignavit spectabili et generoso viro domino M.<sup>o</sup> [Pindemonti Veronensi], Rectori Artistarum et Medicorum Civitatis Bononie, Breve S. D. nostri eidem directum infrascripti tenoris, et mandavit per me Andream [quondam domini Mathei de Castagnolis] notarium, registrari hic, videlicet:

Venerabilis frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. Concessimus alias Rectoribus Studij civitatis nostre Bononie ut nemo ipsorum in capiendo gradum ad aliquam solutionem compelleretur, prout in litteris nostris superinde confectis plenius continetur. Modo vero intelleximus apud non nullos dubium exortum an huiusmodi concessio nostra ad Rectores Artistarum extendatur, quare ad omne dubium submovendum, declaramus per presentes nostre intentionis fuisse et esse, quod ad Rectores omnium Universitatum etiam Artistarum talis concessio extendatur, et ita inviolabiliter observari mandamus.

Datum Fabriani sub annullo pischatoris, die XXVII Iulij MCCCCL, pontificatus nostri anno quarto.

Petrus de Noxeto

A tergo:

Ven. Fratri B[isarioni] Episcopo tuschulano, Cardinali niceno, apostolice sedis legato.

#### Pius Papa Secundus

Dilecti filij salutem et apostolicam benedictionem. Pro parte vestra nobis expositum est, quod licet felicis recordationis Nicolaus per bullam primo voluerit, ordinaverit et concesserit vobis quod in utraque facultate vos et unus scholaris pauper, quem duxeritis eligendum, gratis in ista Universitate se graduari facere possit, et deinde, recusantibus doctoribus Bullam illam observare, mandaverit per breve Bononie tunc Legato, ut concessionem suam, sub pena excommunicationis et alijs censuris, observari faceret; tamen doctores de collegio Bononie, quibus incumbit onus doctorandi, dicuntur adhuc dictam concessionem et indultum observare nolle. Id circo, supplicationibus vestris inclinati, concessionem et indultum dicti predecessoris nostri, tenore presentium auctoritate apostolica confirmantes, mandamus, sub pena excommunicationis late sententie, omnibus doctoribus de collegio, ad quos spectat, ut privilegium ipsum cum effectu admittant et observent. Quod si forte inobedientes esse maluerint, ut privilegio apostolico gaudere possitis concedimus vobis per presentes facultatem eligendi alios doctores extra collegium, qui, una cum Vicario Archidiaconi ecclesie bononiensis, gratis ad doctoratus gradus ac vos et unum scolarem auctoritate nostra promoveant, et insignia consueta exhibeant, constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrarijs non obstantibus quibuscumque.

[321] Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annullo piscatoris, die prima Ianuarij 1459, pontificatus nostri anno primo.

A tergo:

Dilectis nostris filijs Rectoribus utriusque Universitatis Civitatis nostre Bononie.

